NDEX
SCHOLARUM
PUBLICE ET PRIVATIM
IN ACADEMIA
GEORGIA AUGUSTA
PER SEMESTRE HIBERNUM

ANNI MDCCCXLII — XLIII.

HABENDARUM

PER DIES A XXIV. USQUE AD XXIX. OCTOBRIS

INCIPIENDARUM

PER DIES A XX. USQUE AD XXV. MARTII

FINIENDARUM.

De Laso Hermionensi commentatio.



Praemissa est de Laso Hermionensi comm

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIE

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
FRID. BERGMANN D.
CUM SENATU.

In una civitate Athenarum qui litteras bonasque artes et inventas esse omnes et maturitatem adeptas praedicant, cum alterum satis ex vero dicunt, in altero fidem historiae prorsus a se segregant. Rhetorum ista pigmentis ultra quam fas est illita nitent, non candida reliquorum Graeciae populorum existimatione nituntur. Nam si quis gradum rettulerit in eam aetatem, quae in proferendis singulis poesis generibus elaboravit — de poesi enim nunc loquimur —, is Ionum Asiae minoris et Aeolensium et Doriensium eas fuisse partes intelliget, Atheniensium aut perexiguas aut nullas. Epicorum poetarum largum proventum lustrantibus vix ullum nomen hominis Attici occurrit paullo illustrius; elegiaca poesis ab Ionibus Asianis et inventa est et perfecta, antequam Solo — nam Tyrtaeum Aphidnaeum Miletus sibi vindicare videtur — illorum exempla aemulatus et elegias et iambos cum tetrametris trochaicis, qui et ipsi Ioniam habuere patriam, in Atticam traduceret. Hinc ubi ad lyricos poetas et melicos perrexeris, ne eorum quidem in numero quenquam censeri Atheniensem confiteare oportebit: ne quis erret, intelligimus eam aetatem, quae bellis Persicis terminatur: inventionem generis totam Aeolenses Lesbii et Dorienses Peloponnesi sibi deposcunt. Quid, ipsius poesis dramaticae cum vestigamus incunabula eius, quam una urbs Athenarum immortalibus operibus illustravit, nonne ad Dorienses populos revolvimur, priusquam Thespis Icarius Atheniensibus auctor existeret emendatioris tragoediae? Comoediam autem neminem fugit a Megarensibus excultam et per pagos Atticos plaustris vectam sero in urbem esse publice receptam.

Quapropter quibus integra memoria rerum declamatorio fuco habebitur antiquior, illud suo iure obtinebunt, Atticos homines quaecunque ab aliis gentibus genera poesis ad se transtulissent, ea ita pertractasse, ut Atticae elegantiae impressa notis laetius exsplendescerent, eaque quae adventicia erant consummavisse tam scienter, ut in Attico solo nata et domestica esse viderentur. Nimirum ita fuit in fatis, ut quae antea singulae gentes periclitati pro viribus expolivissent, istorum flore ingenii paullatim exarescente, non perire sineret et in summum perfectionis fastigium eveheret felicissimum ingenium hominum Atticorum.

Licet autem commune quoddam Graeciae Museum et esse et dici coepissent *ταὶ λιπαραὶ καὶ ἰοστέφανοι καὶ ἀοίδιμοι, Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον* tum demum cum depulsis barbaris in prin-

cipatu Graeciae constituti altiora spirabant: valde tamen a vero aberraverit, si quis Athenas eo tempore pristinam quandam feritatem subito exuisse et in aliquam litterarum artiumque communionem venisse opinetur. Longe contra res se habet. Ionicae enim gentis indole ad exterorum praeclara inventa haudquaquam obsurduerant omniumque undique elegantiarum strenui erant citra invidiam captatores. Replicato memoriam vetustatis futuraeque excellentiae semina diligenter anquirito: reperies, ne ante bella quidem Persica fuisse Athenienses vel animo a poesis studio et amore alieno vel eximiorum poetarum et artificum musicorum destitutos commerciis. Igitur quod de inventorum poesis generum laude detrahendum fuit, iusta amoris et studii praedicatione compensabitur. Sed haec paullo uberius explananda videntur.

Et primum quidem Athenienses ab antiquis temporibus videmus reliquarum stirpium carminibus eximie delectatos esse. Homerica poemata, civis sui Smyrnaei, iam ante Solonem in conventibus sacris Atticorum recitata esse certo constat. Quae quantopere in succum, ut aiunt, et sanguinem verterint elegantiores homines ipsius Solonis carmina clare loquuntur. Ad eundem Mimnermi Colophonii elegias mature perlatas esse testatur carmen quo ipsum Mimnermum allocutus sententiam quandam suam paullum refingere iubet, vide Diog. Laert. I, 60. vel Delect. poett. eleg. frr. 20. 21. Neque vero sermonis peregrinitas obstitit, quominus Aeolicis poetis melicis sese oblectarent. Legimus Soloni seni carmen Sapphonis cum cantaretur mirifice placuisse, vide Plutarchum Stobaei Floril. XXIX, 28. Eiusdem legumlatoris curam circa μουσεῖα versatam esse et παιδείαν iuventutis veteres cum laude commemorant. Cui quidem potissimum deberi videtur, quod ab eo inde tempore Atheniensium convivia pariter atque subsellia scholastica poetarum lyricorum carminibus perstrepebant, Alcaei, Anacreontis, Sapphonis, Ibyci, Stesichori aliorum. Videndus qui accuratius haec disseruit Herm. Sauppius in egregiae commentationis ***De caussis magnitudinis iisdem et labis Athenarum*** *parte priore* Turici edita 1836. p. 8 sqq. Domesticos tamen poetas lyricos perpaucos tulisse Athenae videntur: fortasse Cecides ille peranticus dithyrambopoeus et iam Cratini aetate obsoletus Atheniensis fuit, vide Cratini Panopt. fr. VI. Arist. Nubb. 984. Fuit profecto Lamprocles, uno ille hymno in patriam deam Minervam nobilis, vide Delect. poett. mel. p. 465. Quanquam idem dithyrambos scripserat teste Athenaeo IX, p. 491, C. Callistratum divini illius in Harmodium et Aristogitonem scolii auctorem satis diu post expulsos tyrannos vixisse est cur suspicemur: Atheniensem fuisse non traditum est. Antiquiori autem videtur tempori Tynnichus vindicandus esse Chalcidensis, cuius paeanem, donum quoddam Musarum, Athenis σχεδὸν ἅπαντες ᾄδουσιν, inquit Plato Ione p. 534, D., πάντων μελῶν κάλλιστον. Eum enim non aequalem fuisse Aeschyli — qui Meinekii error est Hist. Crit. Comicc. Grr. p. 102. —, sed longe vetustiorem Aeschylo, ipsum illud responsum, quod is Delphis dedisse fertur, arguit, apud Porphyrium de Abstinent. I, 18.

Pisistratus autem eiusque litteratissimi filii qua cura eximios poetas foverunt id effecisse videntur, ut qui antea Spartam potissimum et ad tyrannos Ioniae commigrare consuessent, iam frequentes Athenis rerum suarum sedem collocarent. Quis ignorat, Pisistratum circum se habuisse Orphicos illos sive doctos sive poetas, qui Homeri carmina frequentissima auditione cele-

brata in ea quae nunc extant volumina redigerent litterisque consignarent? Inter quos unus Onomacritus gente fuisse Atticus reperitur, nisi forte obscurum illum sive Concylum sive Conchylum sive quocunque demum fuit nomine, Atticae terrae ascribes. Hipparchus autem qui patris institutum teneret, non vetusta solum epicorum carmina curavit, sed eos potissimum poetas consectabatur, qui festorum dierum splendorem augerent vitamque familiarem suavitate carminum suorum condirent, Simonidem Ceum et Anacreontem Teium. Exinde mansit, ut Athenienses non indecorum fore sibi arbitrarentur, quod peregrinis artificibus domesticorum solemnium vel moderatoribus vel adiutoribus uterentur. Ante bella Persica quos praeter illos poetas et musicos Athenis versatos accepimus celebriores, fere aliunde immigrasse deprehenduntur. Cum Agathocle et Apollodoro Atheniensibus commemoratur Pythoclides Ceus, eximius tibicen, de quo diximus ad Eustathii Prooem. Pind. p. 20: cum Choerilo et Phrynicho poetis tragicis Athenis dithyrambos docebant Pratinas Phliasius, Melanippides Melius, Hypodicus Chalcidensis et qui sunt praeterea *). Iamque tum eam Athenienses adepti erant laudem exterorum, ut ad eos confluxisse videantur poeticae artis studiosi. Pindarum certe Thebanum ante bella Persica a parente, qui ipse artem tibiis canendi profiteretur, missum esse Athenas, ubi Lasi potissimum Hermionensis disciplina perficeretur quod domestica disciplina inchoasset, notum omnibus est. Praeter Lasum eadem urbs Peloponnesiaca Atheniensibus submisit, si forte, Cydian, quem Athenis vixisse probabiliter statuimus, ubi carmina ipsius in ore essent omnium, vide testimonia veterum in Delectu poett. melicc. p. 375.; et Epiclen fidicinem Atheniensibus acceptissimum, quo familiariter usum novimus Themistoclen adolescentulum. Vide Plutarchi Themist. 5. De Cydia pertenuis percrebuit fama, de Epicle nihil praeterea constat: utrumque longe antecellit quem primo loco commemoravimus, Lasus Hermionensis, praeceptor Pindari. De quo homine multis nominibus valde memorabili quae apud auctores dispersa feruntur, per hanc scriptionem curiosius excutere et quantum poterit vivam sapientissimi viri eiusdemque in Atticam poesin conformandam gravissimi auctoris imaginem adumbrare tulit animus **).

---

*) De Pratina locutus Welckerus Append. Trilog. Aesch. p. 281. verissime haec profitetur: „*Athen scheint überhaupt in der Zeit, als die verschiednen Arten Dionysischer Poesieen für die Stadt ausgebildet wurden, der Hülfe der Ausländer sich viel bedient zu haben.*" sed quod in eorum numerum Antiphanem Carystium tragicum cooptandum censet, recte dubitanter facit. Confidentius Meinekius Hist. Crit. Comicc. Grr. p. 340., cautius G. Bernhardy annotatione ad Suid. s. v.

**) Singularem librum de Laso confecerat Chamaeleon Heracleota, ex Aristotelis disciplina profectus, qui cum ad alios poetas tum ad lyricos studia sua contulit, vide Boeckhium Praefat. Scholl. Pind. p. IX sq. et Meinekium Hist. Crit. Comicc. Grr. p. 8. Ex libro eius quaedam servata sunt. Chamaeleonti suppar aetate Clearchus Solensis de Lasi artificiis quibusdam disputavit in libris περὶ γρίφων, vide Athen. X, p. 455, C. et I. B. Verraert de Clearcho Solensi (Gandav. 1828.) p. 59. 62. Tertius accedit Heraclides Ponticus, qui ἐν τρίτῳ περὶ μουσικῆς Lasi hymnum ἄσιγμον tractaverat, vide Athen. l. c. et XIV, p. 624, C. et I. E. G. Roulez de Vita et Scriptis Heraclidae Pontici p. 93 sqq. Praeterea Aristoxenus Tarentinus Lasum tetigerat, unde Diog. Laert. I, 42. hausit. Vide Mahnium de Aristoxeno p. 165 sq., qui cum Ionsio ea in opere περὶ μουσικῆς lecta fuisse censet. Postremo Hermippus Smyrnaeus,

Ex commentariis veterum auctorum quos infra perscripsimus profecerunt doctiores enarratores Aristophanis, qui quae olim ad Vesparum v. 1402. exprompserant in lexicon suum derivavit Suidas. Nam errarunt qui Suidan ex his scholiis Comici quae exstant petisse putavere. In ea enim M. MUSURUM inculcasse in codicibus omissa, paucis vel mutatis vel additis, ut plurima alia, ex Oxoniensi editione G. DINDORFII didicimus. Suidae igitur verba pro fundamento disputationis erunt, quae fortasse in Antipatri et Euphronii commentariis integriora exstiterunt, haec:

Λᾶσος Χαρβίνου, Ἑρμιονεύς, πόλεως τῆς Ἀχαΐας, γεγονὼς κατὰ τὴν νή Ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου. Τινὲς δὲ τοῦτον συναριθμοῦσι τοῖς ζ σοφοῖς ἀντὶ Περιάνδρου. Πρῶτος δὲ οὗτος περὶ μουσικῆς λόγον ἔγραψε καὶ διθύραμβον εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε καὶ τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσατο λόγους.

Ipsum nomen poetae varias passum est in libris scriptis depravationes. Veluti quod olim fere *Λάσος* signabatur, ne nunc quidem vitium ubique sublatum est, ut in Suida Halensi. Corruptius alias comparet *Λάσσος*, *Λασσός*, *Lasius*, *Ὀλάσσος*, *Τάσσος*, *Λάγος*, *Λέγος*, *Βλάσος*, *Λῶσος* et similiter. Scribendum vero *Λᾶσος*, ut *νᾶσος*. Id nomen neque a verbo *ΛΑΩ*, h. e. *volo* descendit, foret enim *Λῆσος*; nec, quo WELCKERUS Cycl. Epic. p. 324. delatus est, ex *Λαοσσόος*, *Λάσσος* concisum haberi debet, sed redit ad radicem *ΛΑΘ*, quae comparet in v. *λήθω*. Monstrat glossa Hesychii: *Λασῖνος· ἄφρων, ἐπιλήσμων.* Quod nomen redolet comoediam Siculorum, quo *Oblivionem* quendam et bucconem appellaverint. Ut nomina illa in *ῖνος* desinentia in deterius detorqueri solent: comoediae Siculae *Χαρῖνον* quis ignorat? *Γελασίνην τὴν πολλὰ γελῶσαν* dixerat Anaxandrides in *Κωμῳδοτραγῳδίᾳ* BEKKERI Ann. p. 87, 24., risori Democrito *Γελασίνου* cognomen haesit, Aelian. V. H. IV, 20. Neque mimum Sophroneum *Λασῖνος* ille dedeceat. Sed Lasi nomen, ad id enim redimus, perispomenon esse debet. Longam enim priorem syllabam et originatio ista confirmat et versus Aristophaneus Vespp. 1412. *Ἐπειθ' ὁ Λᾶσος εἶπεν· Ὀλίγον μοι μέλει.*

In parentis nomine etiam maiores turbae excitantur. Suidas Lasum filium facit *Χαρβίνου*, Diogenes Laertius I, 42. *Χαρμαντίδου ἢ Σισυμβρίνου ἢ, ὡς Ἀριστόξενος, Χαβρίνου* (*Χαρβίνου* tacite substituit P. LEOPARDUS l. c. p. 42), Isaacus denique Tzetza Prolegg. in Lycophr. p. 252. Mueller., si codices audis, *Χαβρίου* vel, ut est in Vitebergensi altero, *Χωρίνου*. Nam quod in vulgaribus exemplis homo unus in tres dilaniatus fuit ita: *Δεύτεροι δὲ Λάσσος, Λαβρίνης, Ἑρμιονεύς*, codices Tzetzen ipsum a tam foedo

Callimachius, *ἐν τῷ περὶ τῶν ἑπτὰ σοφῶν* de Laso dixerat, vide Diog. Laert. l. c. et A. LOZYNSKIUM Hermipp. Fragmm. p. 65 sq. De carminibus aetate Alexandrinorum grammaticorum Lasi nomine circumlatis quaesivisse ARISTOPHANEM BYZANTIUM, puta in iis quae ad Callimachi Tabulas commentatus erat, narravimus infra.

Patrum memoria de Laso accuratius quam alii disputarunt P. LEOPARDUS Emendatt. lib. II, c. 23. BURETTIUS in Commentatt. Acad. Francogall. T. XV, p. 324—330., qui priores viros doctos citavit, P. G. DUKERUS vel R. M. VAN GOENSIUS de Simonide Ceo (Traj. ad Rhen. 1768.) p. 52 sqq. His diebus multi, inter quos satis erit nominasse H. ULRICIUM Hist. Poes. Graec. II, p. 521 sqq. et 586 sqq., G. H. BODIUM Hist. Poes. Graec. II, 2, p. 111 sqq., C. O. MUELLERUM Hist. Litt. Grr. I, p. 388.

errore immunem praestiterunt. *Χαρβῖνον* G. Bernhardy ad Suid. l. c. commendaturus ***Memorabile***, inquit, ***nomen Χαρβίνου, id est Χαρίνου, inserta digammo, velut accidit in ἔρβως.*** Bona verba, quaesumus. Inter vocales in mediis vocabulis et Aeolenses et Dorienses inseruisse digamma certissimum est: inter consonam et vocalem prorsus inauditum est. Vide exempla a Welckero Trilog. Aesch. p. 163. 597. per saturam prolata, Aeolica apud Ahrentem de Dial. Aeol. p. 35 sqq., Dorica apud eundem de Dial. Dor. p. 51. Quod autem Bernhardy *ἔρβως* comparat, id pro *ἔρως* dictum fuisse statuerit necesse est. Verum Hesychius *ἔρβως· εὖρως*, ut liquida transposita appareat, velut accidit, ne vulgaria coacervemus, in *κορκόδειλος*. Apage igitur *Χαρβῖνον*, quod nomen vel Graecum esse negamus. Longe praestaret aliquod unum nomen ex his *Χαβρῖνος*, *Χαβρίας*, *Χωρῖνος*. Sed ut fere fit in tanta librariorum titubatione, nulla ex istis forma vera est. Nempe quivis semel monitus concedet, qui aliis *Χαρμαντίδης*, eum Aristoxeno vocatum fuisse *Χαρμῖνον*: ad quod nomen tanquam ad fontem suum redeunt varia vitia librorum. Nomen non infrequens: dux Atheniensis est apud Aristoph. Thesm. 804. Thuc. VIII, 73., homo Laco Xenoph. Anab. VII, 6, 1 et 39. A *Χάρμος* fit *Χαρμῖνος*, *Χαρμαντίδης* a *Χάρμας*. Utrumque nomen ut eidem homini fuisse putemus persuadent multa similiter variata nomina: idem *Τιμίας* et *Ἀνδρότιμος* Scholl. Pind. Ol. II, 76, *Πρωταγόρας* et *Πρωταγορίδης* Meinek. Hist. Com. p. 12., *Σωκλῆς* et *Σωκλείδης*, *Τελεσίας* et *Τελεσιάδης* Welcker. Cycl. Ep. p. 245., *Ἕρμων* et *Ἑρμῶναξ* reliquaque Lobeckii Aglaoph. p. 996., *Κλέανδρος* et *Κλεανδρίδης* Hemsterhus. in Arist. Plut. p. 325. Lips., *Λέων* et *Λεωνίδης* C. Fr. Hermann. de Scriptt. Plat. I, p. 584 sq. — Qui *Σισυμβρίνου* filium dixerat — nam ita nunc ex codicibus refictum est olim vulgatum *Συμβρίνου* —, iocatus esse videtur. Poterat poeta comicus vetusto dithyrambopoeo in certaminibus poetarum senescenti a flore illo coronis nectendis usurpato et in dithyrambis saepe dicto parentem *Σισύμβρινον* affingere, ut Arionem Cycleo patre exornarunt, alios aliis, vide Welckerum post Schwenckii Mythol. p. 330 sq. *Σισύμβρια* enim in *τὰ ἐν τοῖς στεφάνοις ἄνθη* refert Pollux VI, 106., cfr. Cratini *Μαλθακ.* fr. 1. p. 72. Meinek. Meretricis nomen *Σισύμβριον* apud Theophilum Athen. XIII, p. 587, F. eodem pertinet. Sed haec vereinur ne nugatoria quibusdam esse videantur.

Rari inter Graecos Lasi. Unius praeter Hermionensem mentio extat Magnetis, astronomi, in Vita Arati a Victorio et Petavio edita apud Buhlium II, p. 433. *Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἔγραψε Φαινόμενα· καὶ Λᾶσος ὁ Μάγνης, οὐχὶ ὁ Ἑρμιονεύς, ἀλλ' ὁμώνυμος ἄλλος τῷ Ἑρμιονεῖ.* Scholia in Basilii Orat. *περὶ γενέσεως* apud Cramerum Ann. Oxx. III, p. 413, 18. *Οἱ περὶ Εὐδέξιον (Εὔδοξον) καὶ Ἵππαρχον καὶ Διόδωρον τὸν Ἀλεξανδρέα μαθηματικοὶ ἐπλεύσαντο* (an *ἐπράξαντο?*), *οἷον ἐπραγματεύσαντο, Ἴκελαος* (*καὶ Λᾶσος* Cramerus), *οὐχ ὁ Ἑρμιονεύς, ἀλλ' ἕτερος**).

---

*) Sic fere solent cognomines scriptores distinguere grammatici. Scholiasta Hesiodi Argum. Scuti p. 92. Goettl.: *Ἀριστοφάνης, οὐχ ὁ κωμικός, ἀλλά τις ἕτερος γραμματικός.* Epistolographus Crameri Ann. Oxx. III, p. 195, 6. *Πλάτων, οὐχ ὁ φιλόσοφος, ἀλλ' ὁ Κεραμικώτατος* (non necessario Meinekius Poett. Com. I, p. 164. *κωμικώτατος*). Scholiasta Hephaest. p. 185. (198. Lips.) Gaisf. *Ὅμηρος, οὐχ ὁ ποιητής, ἀλλ' υἱὸς*

Lasum poetam natione fuisse Hermionensem consentiunt scriptores, qui raro patriae significationem omittunt. Interdum tamen Hermionensem in *ἑρμηνέα* depravant librarii, veluti apud Herodotum, Suidan alios, vide Lobeckii Aglaoph. p. 1105. Illa patriae memoria praeter Tzetzae librarios quosdam vel editores errore irretivit Epitomatorem Athenaei X, p. 455, C., qui Hermionea quendam a Laso divulsum propinat. Hermione autem quod Achaiae urbs dicitur apud Suidan, cum Hyrmina confusa est. Idem Suidas tradit *γεγονέναι κατὰ τὴν νή Ὀλυμπιάδα, ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου.* Inepte editiones Kusteriana vetustiores *κατὰ τὴν ή:* illud jam Musurus reposuit in Scholl. Arist. l. c. et P. Leopardus. Quanquam ne sic quidem notatio temporis satis accurata est. Darius*) enim Ol. LXIV, 4. demum successit Cambysi. Quapropter Larcherus Chronol. Herod. p. 635. maluit *ξή*, Ol. LXVIII, cum priores quidam critici, ut Ism. Bullialdus ad Theon. p. 260 et Vossius Hist. Poett. Grr. I, 4. *ό* coniecissent, h. e. Ol. LXX. Certius aetatis indicium praebet id quod Lasum cum Hipparcho Athenis versatum scimus. Is rerum potitus est Ol. LXIII, 2. Iam cum Anacreontem et Simonidem constet Athenas ab eo accitos esse fere Ol. LXIII, 4, non longe a vero aberrabimus, si Lasum eodem tempore ab eodem invitatum esse statuerimus. Quanquam scriptor Hipparchi Platonici Lasum tacet, p. 228, C. Sed consuetudinis Hipparcheae auctorem habemus locupletissimum Herodotum, qui VII, 6. Pisistratidas narrat secum Susa adduxisse Onomacritum, *ἄνδρα Ἀθηναῖον χρησμολόγον τε καὶ διαθέτην χρησμῶν τῶν Μουσαίου. ἀναβεβήκεσαν γὰρ τὴν ἔχθρην προκαταλυσάμενοι. ἐξηλάθη γὰρ ὑπ' Ἱππάρχου τοῦ Πεισιστράτου ὁ Ὀνομάκριτος ἐξ Ἀθηνέων, ἐπ' αὐτοφώρῳ ἁλοὺς ὑπὸ Λάσου τοῦ Ἑρμιονέος ἐμποιέων ἐς τὰ Μουσαίου χρησμόν, ὡς αἱ ἐπὶ Λήμνου ἐπικείμεναι νῆσοι ἀφανιζοίατο κατὰ τῆς θαλάσσης. διὸ ἐξήλασέ μιν ὁ Ἵππαρχος, πρότερον χρεώμενος τὰ μάλιστα.* Hinc facile opineris eadem familiaritate tyranni lateri adhaesisse Lasum, festivum hominem et mire sagacem, qua Anacreontem et Simonidem. Athenis igitur floruit Lasus intra Ol. LXIII, 2 et LXVI, 3. Non multum lucramur ex eo, quod cum Xenophane Colophonio aliquando congressus esse dicitur: Plutarchus *περὶ δυσωπ.* p. 530, F. (Sim. Karsten Xenophanis Reliq. p. 87). *Ξενοφάνης Λάσου τοῦ Ἑρμιονέως μὴ βουλόμενον αὐτῷ συγκυβεύειν δειλὸν ἀποκαλοῦντος, ὡμολόγει καὶ πάνυ δειλὸς εἶναι πρὸς τὰ αἰσχρὰ καὶ ἄτολμος.* (Athenis enim liberali homine indignum habebatur ludere tesseris: quo pertinet apophthegma Solonis in Stobaei Append. Flor. IV, p. 41, 17. Gaisf.). Aetas enim Xenophanis inter Ol. LIII et LXXVI interiacet, vide Delect. poett. eleg. p. 39 sq. Qui cum patria excidisse videatur Ol. LIX, 1, Graeciam pervagatus Lasum potest Athenis convenisse.

Μυροῦς τῆς Βυζαντίας ποιητρίδος. Tzetza Exeg. Iliad. p. 61. *Εὐφορίων, [ὁ Χαλκιδεύς, οὐχ] ὁ Αἰσχύλου παιήρ,* ut haec explevit Meinekius in Euphor. p. 193. — Similes astronomorum catalogos indicat Naekius Schedd. Critt. p. 8. (Opuscc. I, p. 13.). Qui quod Anacreontem in eorum haberi numero miratur, fluxit hoc, si quid videmus, ex fr. CXLV, Bergk.

*) Cur Darii aequalem dicerent Lasum caussam hanc habuisse veteres verisimile est, quod cum Simonide in certamen descendisse norant, cuius aetatem ex Darii mentione apud ipsum facta sisterent. Vide Simonid. Cei Reliq. p. 3.

Hipparcho Ol. LXVI, 3. interempto Lasum non magis quam Simonidem Athenas reliquisse docet quod Pindarum adolescentulum (*παῖδα*) instituisse in arte lyrica dicitur. Nam cum Boeckhius Pindar. T. II, 2. p. 17. Lasum Pindari praeceptorem a commoratione Atheniensi diiungit, aperte fallitur. Etenim una cum Laso Athenienses Apollodorus et Agathocles eum instituisse narrantur. Pindarus autem cum natus sit Ol. LXIV, 3. ex Boeckhii quidem rationibus probabilissimis, si sedecim tum annos habuisse iure statuimus, Lasum nanciscimur Athenis residentem etiam Ol. LXVIII, 3. Qui calculi aliunde confirmantur. Lasus enim cum in certamina dithyrambum Athenis induxisse primus dicatur, Marmor autem Parium Epoch. 46. Hypodicum Chalcidensem *) primum istorum certaminum victorem consignaverit Ol. LXVIII, 1. praetore Isagora: ipsum Lasum tum quidem Athenis haesisse consectarium est. Qui cum aliquando Simonidem palmae competitorem habuisse referatur, post Ol. LXVIII, 1. id accidisse simul apparet. —

Lasum universe *μελοποιόν* vocant Scholia Aristoph. Vespp. 1401. Eustathius Prooem. Pind. p. 15. et Thomas Mag. Vita Pindari p. 4. Nam licet in dithyrambis potissimum habitaret — scoliorum poetis cur a recentioribus quibusdam accenseatur ignoramus —, tamen ne ab aliis quidem carminum lyricorum generibus abstinuit. Velut hymnum in Cererem Hermionensem scripsit. Cuius deae sacra sanctissimis religionibus cultae cum hymnorum ornamenta desiderarent, suspiceris Lasi ingenium poeticae artis studio domesticis istis sacris incitatum exarsisse. Nisi ea tamen vis religioni potius Bacchicae tribuenda est: de quo infra dicendum erit. Hermionenses autem licet de gente Dryopum essent civitasque eorum per omne tempus sui iuris manserit et Dryopica, quod contra C. O. Muelleri Dorr. I, p. 175. edocuit Ahrens de Dial. Dor. p. 2., Lasus tamen et Dorica usus est dialecto, quam eandem tituli Hermionensium monstrant, et ad genus poesis lyricae se contulit Dorium. Nam cum Argivis Doriensibus poeticae artisque tibiis canendi videntur habuisse commune studium Hermionenses. Argivi autem quod teste Herodoto III, 131. circa Ol. LXVII. celebrantur *μουσικὴν εἶναι Ἑλλήνων πρῶτοι*, non minima pars eius laudis praeter Telesillam cum Lasi celebritate communicanda videtur. Ac mansit tibicinum Argivorum gloria integra longe recentiore aetate, vide ad Simonid. Cei Rell. p. 198. Sed vix quisquam carminum laudem cum scientia artis tam praeclare coniunctam habuisse videtur quam Lasus.

Hymni illius initium servavit Heraclides Ponticus Athenaei X, p. 455, D. *Καὶ ὁ εἰς τὴν Δήμητρα δὲ τὴν ἐν Ἑρμιόνῃ ποιηθεὶς τῷ Λάσῳ ὕμνος ἄσιγμός ἐστιν, ὥς φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τρίτῳ περὶ μουσικῆς· οὗ ἐστὶν ἀρχή·*

Δάματρα μέλπω κόραν τε Κλυμένοιο ἄλοχον. —

Plenius idem XIV, p. 624, E. *Ἡ Ὑποδώριος καλουμένη ἁρμονία ἐστί, φησὶν ὁ Ἡρακλείδης, ἣν ἐκάλουν Αἰολίδα· ὡς καὶ Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεὺς ἐν τῷ εἰς τὴν Ἑρμιόνι Δήμητρα ὕμνῳ λέγων οὕτως·*

---

*) Boeckhius Corp. Inscrr. Vol. II, 1. p. 318. „Hypodicus aliunde non notus. Eusebiana ad Ol. 60 habent *Hippicus carminum scriptor agnoscitur*, ubi vel hic vel Hipponax, licet iam ad Ol. 23. annotatus, intelligi potest." Vix potest vel hic vel ille. Ibycum Rheginum voluisse Eusebium certissimum est, vide Ibyc. Rheg. Prolegg. p. 13.

Δάματρα μέλπω κόραν τε Κλυμένοιο
ἄλοχον Μελίβοιαν, ὕμνων ἀνάγων
Αἰολίδ' ἅμα βαρύβρομον ἁρμονίαν.

Ταῦτα δ' ἄδουσι πάντες ὑποδώρια τὰ μέλη. ἐπεὶ οὖν τὸ μέλος ἐστὶν ὑποδώριον, εἰκότως Αἰολίδα φησὶν εἶναι τὴν ἁρμονίαν ὁ Λᾶσος.

De harmonia Aeolide explicat Boeckhius de metr. Pind. III, 8. p. 223 sqq., qui verba Lasi rectius quam alii, quos secuti sumus ipsi Delect. poett. melic. p. 375., in tres versus dispescuit, monitus primi versus hiatu. Advertes exordii simplicitatem ad epici carminis morem attenuati. Ut *Ἴλιον ἀείδω καὶ Δαρδανίην εὔπωλον.* Et sic paene semper hymni Homeridarum, maxime minores: similiter maior ille in Cererem hymnus: *Δήμητρ' ἠΰκομον, σεμνὴν θεόν, ἄρχομ' ἀείδειν, Αὐτὴν, ἠδὲ θύγατρα τανύσφυρον, ἣν Ἀϊδωνεὺς Ἥρπαξεν.* Hymnus Lamproclis in Minervam: *Παλλάδα περσέπολιν δεινὰν θεὸν ἐγρεκύδοιμον Ἀοιδαῖσι ποτικλήζω κτλ.* Scolion Ath. XV, p. 694, C. *Πλούτου μητέρ' Ὀλυμπίαν ἀείδω Δήμητρα στεφανηφόροις ἐν ὥραις κτλ.* Raro Pindarus: Pyth. IX, 1. *Ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν κτλ.* et Encom. fr. 1. *Βούλομαι παίδεσσιν Ἑλλάνων* (nunciare laudes Theronis). Ceterum *ὕμνων* correxit Fr. Jacobsius Anthol. Vol. IX, p. 265. Libri *ὕμνον.* Similiter Sophocles dixit Trach. 210. *παιᾶν' ἀνάγετε,* h. e. *ἀνυμνεῖτε,* et Euripides Phoen. 1359. *ἀνάγετε κωκυτόν.* Lasus autem cum sese canere Cererem cum Meliboea, uxore Clymeni profitetur, simul hymnorum excitantem Aeolidem gravistrepam harmoniam, quam se ad domestici cultus proprietatem composuerit documento haec sunt. Namque tria illa numina religionibus Hermionensium artissimo erant vinculo constricta. Titulus Corp. Inscrr. I, 1197. *Ἁ πόλις ἁ τῶν Ἑρμιονέων Νῖκιν Ἀνδρωνίδα Δάματρι, Κλυμένῳ, Κόρᾳ;* 1199. [*Ὁ δεῖνα Δάματ*]*ρι: Κλυμένῳ: Κόρᾳ: ἀν* [*έθηκε.*] Adde 1194. 95. 96. Idem consortium servavit Lasum imitatus Philicus Corcyraeus Hephaestion. p. 53. (57. Lips.) Gaisf.

Τῇ χθονίῃ μυστικὰ Δήμητρί τε καὶ Φερσεφόνῃ καὶ Κλυμένῳ τὰ δῶρα.

Alia vide apud Prellerum de Cerere et Proserp. p. 57 sq. et C. O. Muellerum Dorr. I, p. 399. Singularem de Hermionae urbis delubris, in quibus enarrandis multus est Pausanias, scriptionem ediderat, si integrum nomen est, Aristoteles in Scholl. Theocr. XV, 64. *Ἀριστοτέλης ἐν τῷ περὶ Ἑρμιόνης ἱερῶν* (sic enim vulgatum *ἱερῷ* correxit Toupius Animadverss. p. 220. vel 518. ed. Heindorf.). *ἱστορεῖ ἰδιώτερον* (*ἢ διατριβῇ* codex Laur., qui voluisse videtur *ἐν τῇ περὶ Ἑρμιόνης ἱερῶν διατριβῇ.*) *περὶ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἥρας γάμου.* Sed cum post haec de solis sacris Iunonis *Τελείας* et Argivae quidem potissimum sermo sit, complures viri docti *περὶ Ἥρας ἱεροῦ* maluerunt, veluti Welckerus post Schwenckii Mythol. p. 270. et Prellerus l. c. p. 244. vel, ut Grashoffius in Jahnii Annalibus Philoll. X, 2. p. 142. sic: *Ἀριστοτέλης δὲ ἱστορεῖ ἐν τῇ περὶ Ἥρας καὶ Διὸς ἱερῶν* (vel *ἰδίων*) *διατριβῇ.* Exciderantne adeo, quae de Hermionensium Iove et Iunone rettulit Steph. Byz. s. v. *Ἕρμιον ἀπὸ τοῦ τὸν Δία καὶ τὴν Ἥραν ἐνταῦθα ἀπὸ Κρήτης ἀφικομένους ὁρμισθῆναι, τροπῇ τοῦ ο εἰς ε, ὅθεν καὶ ἱερὸν Ἥρας Παρθένου ἦν ἐν αὐτῇ?* Faciliores erimus ad mutandum nomen philosophi Stagiritae: Grashoffii commentum de Aristocle illo poeta apud

Aelian. H. A. XI, 4. spretum postea ab ipso est: felicius Prellerus l. c. Aristiden Periegetam sufficit, de quo dixit in Polemonis Reliq. p. 59.

Syracusani et Cererem et Proserpinam venerabantur *Ἑρμιόνην*, Hesych. s. v. Nempe non ab urbe Dryopica ea sacra in Siciliam dimanasse credere fas est, sed hoc intelligimus, urbem Cereris potissimum chthoniae religioni addictam ex ipsius appellatione numinis traxisse nomen. Dicebatur enim *Ἑρμιόνη χωρίον ἄσυλον*, templa Cereris et Proserpinae Hermionensium erant *ἄσυλα*, vide Phot. s. v. et Aristophanem Babyloniis apud Zenob. II, 22. *Ἑρμιόνη* igitur et urbs et dea quasi *ἕρμα* quoddam supplicum antiquitus mente conceptae. Sed quod Toupius l. c. in ipsis verbis Athenaei *εἰς τὴν Ἑρμιόνην Δήμητρα* scribendum proposuit, codices rectius altero loco *ἐν Ἑρμιόνῃ*, altero *Ἑρμιόνι* obtulerunt, de qua forma videndus Lobeckius Parall. p. 146. Postremum verbo attingemus *κόραν Μελίβοιαν*. Id quoque nomen dubitari nequit quin ex religione Hermionensium sumpserit poeta. Eadem aliis *Πολύβοια* vocata est, Hesych. s. v.; eodem nomine sacerdotes videntur eius appellatae, vide Muelleri Dorr. I, p. 354. Neque aliena est Cleoboea illa, quae ex Paro insula in Thasum portarat prima *τὰ ὄργια τῆς Δήμητρος*, teste Paus. X, 28, 1. Quae nomina omnia, sicuti *Φερέβοια*, *Ἐρίβοια*, *Περίβοια* (Lehrsii Aristarch. p. 249.) quorsum spectent non erit obscurum *almam* Cererem recordantibus. Celebrabant Hermionenses quavis aestate *χθόνια*, Paus. II, 35, 4. Cui festo diei illum ipsum hymnum destinaverit Lasus.

Praeter Cereris Hermionenses habebant templum Bacchi *Μελαναίγιδος*, cui teste Pausania *μουσικῆς ἀγῶνα κατὰ ἔτος ἕκαστον ἄγουσιν*. Ut igitur festi dies Apollinis potissimum et Bacchi Ceis domestici ad lyricam poesin factitandam convertisse videntur Simonidem, sic civium suorum religiones Cereris pariter atque Bacchi in eum maxime campum ingenium Lasi deduxisse suspicamur. Regnavit in dithyrambis, quos novando tam mirifice promovit, ut qui minus accurate locuntur vel repertos ab eo primo velint. Scholia Aristoph. Avv. 1403. *Ἀντίπατρος καὶ Εὐφρόνιος ἐν τοῖς ὑπομνήμασί φασι τοὺς κυκλίους χοροὺς στῆσαι πρῶτον Λᾶσον* (*Λαγὸν* Aldus, *Λέγον* Venetus) *τὸν Ἑρμιονέα. Οἱ δὲ ἀρχαιότεροι Ἑλλάνικος καὶ Δικαίαρχος Ἀρίονα τὸν Μηθυμναῖον· Δικαίαρχος* (male *Δήμαρχος* Ven.) *μὲν ἐν τῷ περὶ Διονυσιακῶν ἀγώνων, Ἑλλάνικος δὲ ἐν τοῖς Κραναϊκοῖς* *). Interpretum istorum narrationem temerius ascivit Clemens Alex. Stromm. I, p. 365. Potter. et Suidas s. v. *Κυκλιοδιδάσκαλος*. Rectius Scholl. Vett. Pind. Ol. XIII, 25. *Ἔστησε δὲ* (*τὸν κύκλιον χορὸν*) *πρῶτος Ἀρίων ὁ Μηθυμναῖος, εἶτα Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεύς*; et Tzetzes Prolegg. Lycophr. p. 252. *Διθύραμβον δὲ ἤτοι κυκλικὸν* (leg. *κύκλιον*) *χορὸν ἐν Κορίνθῳ πρῶτος ἔστησεν Ἀρίων ὁ Μηθυ-*

---

*) Nimis diu patienter hunc titulum tulerunt homines eruditissimi. Fefellit vel Naekium Mus. Rhen. 1833, I. p. 42. (Opuscc. I, p. 325.) et G. Dindorfium, quem Veneti codicis *Καρναϊκοῖς* ad *Καρνεονίκας* ducere debebat. Primum id Cordesium admonuisse Prellerus narrat de Hellanico p. 51. Probavit Welckerus Append. Trilog. p. 232. et C. O. Muellerus in Nunc. Litt. Gotting. 1828, p. 7. Mire reiicit Sturzius Hellanic. p. 89. edit. alt. Et admodum nuper editores Fragmentorum Histt. Graecor. Parisini titulum *Κραναϊκά* praefixerunt fr. 85., sed in Dissertat. de Hellanico volumini praemissa p. XIX. quid rei esset intellexerunt sero. Animi caussa memoramus A. Luetckium, qui l. c. p. 24. *κρηναϊκοῖς* (sic) posuerit.

μναῖος, δεύτερος δὲ Λᾶσος Χαβρίου Ἑρμιονεύς. Etenim, quantum quidem in tanta primordiorum artis obscuritate sapere licet, Ario Methymnaeus, citharoedorum suae aetatis princeps, recte parens perhibetur dithyramborum fuisse, h. e. carminum in honorem Bacchi a choro cyclio cantatorum. Quae ille carmina, cum antea diversi loci diversarum gentium Bacchi religione insignes, ut Thebae, Naxus, Corinthus, popularibus cantibus deum honorassent, ad artem et praecepta revocata certae speciei cum dignitate tum appellatione a cognatis generibus carminum, veluti ab Iobacchis et Phallicis, separavit. Post octoginta fere annorum intervallum id genus carminum elimavit Lasus auloedus, qui maxime de modis musicis Bacchicorum sacrorum indoli attemperandis meritus Attici dithyrambi recentioris dux et exemplar evasit. Nam cum Ario natione Aeolensis in Peloponneso maximeque Corinthi artem exhibuisset, Hermionensis poeta, natione Dryops, artificio Doriensis, in maiorem lucem choros cyclios protulit Athenis. Quae res facile veteres impellere poterat, ut Lasum universi generis celebrarent auctorem. Sed ne docuisse quidem dithyrambum Athenis primus censendus est, sed *εἰς ἀγῶνα εἰσήγαγε*, Athenis quidem. Nam aliis locis eiusmodi certamina nondum recepta fuisse quis credat? Non reputaverunt Bernhardy Hist. Litt. Graec. I, p. 290. A. Luetckius de Dithyr. p. 24. alii. Athenis igitur cum iam Thespis, Choerilus alii tragoedias, filias dithyramborum, commisissent, ut dithyrambis idem honos haberetur institutum auctore Laso est certatumque primum Ol. LXVIII, 1. supra declaravimus.

Nempe homo ambitiosus et victoriae certus gloriae suae cumulum accessurum putabat, si aemulorum ex certaminibus discessisset superior. Et cum magnopere placeret Atheniensibus Simonides, ad eum potissimum, rivalem suum, deprimendum illud excogitasse Lasus videtur. Neque is defugiebat certamen. In quo aliquando a Laso, aetate, ut videtur, provectiore, despicatui habitum refert Aristophanes Vespp. 1410., ubi Philocles ad mulierem Panariam ita:

Μὰ Δί', ἀλλ' ἄκουσον, ἤν τί σοι δόξω λέγειν.
Λᾶσός ποτ' ἀντεδίδασκε καὶ Σιμωνίδης·
ἔπειθ' ὁ Λᾶσος εἶπεν· Ὀλίγον μοι μέλει.

Suidas s. v. *Σιμωνίδης*, quae Musurus rursus inseruit scholiis, unde primitus manarunt: *Τὸν Λᾶσον καὶ Σιμωνίδην ὡς ἀντιτεχνοῦντας ἀλλήλοις ὁ ποιητὴς εἰσάγει.* Simonidem Lasus ut sibi longe imparem contemnit. Recte Schol. Rav. *Ἀντὶ τοῦ· Οὐδέν μοι μέλει τοῦ Σιμωνίδου.* Scilicet *Οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ.* Vide Prolegg. Sim. Cei p. IX.

Ex dithyrambis Lasi unius novimus titulum, Centaurorum. Clearchus Athen. X, p. 455, C. *Πίνδαρος πρὸς τὴν ἀσιγμοποιηθεῖσαν ᾠδήν, ὥς ὁ αὐτός φησι Κλέαρχος, οἱονεὶ γρίφου τινὸς ἐν μελοποιΐᾳ προβληθέντος, ὡς πολλῶν τούτῳ προσκρουόντων διὰ τὸ ἀδύνατον εἶναι ἀποσχέσθαι τοῦ σίγμα καὶ διὰ τὸ μὴ δοκιμάζειν, ἐποίησε* (Dithyr. fr. V.)·

Πρὶν μὲν εἷρπε σχοινοτένειά τ' ἀοιδὰ διθυράμβων
καὶ τὸ σὰν κίβδαλον ἀνθρώποισιν ἀπὸ στομάτων.

Ταῦτα σημειώσαιτ' ἄν τις πρὸς τοὺς νοθεύοντας Λάσου τοῦ Ἑρμιονέως τὴν ἄσιγμον ᾠδήν, ἥτις ἐπιγράφεται Κένταυροι.

Erant qui certando provocarent si quis carmen ἄσιγμον componeret. Refert Clearchus Athenaei X, p. 448, D. inter septem genera griphorum: Ὁμοίως κἂν ἔχειν τι κελεύῃ τῶν γραμμάτων ἢ μὴ ἔχειν. καθάπερ οἱ ἄσιγμοι καλούμενοι τῶν γρίφων· ὅθεν καὶ Πίνδαρος πρὸς τὸ σίγμα ἐποίησεν ᾠδήν, οἱονεὶ γρίφου τινὸς ἐν μελοποιίᾳ προβληθέντος. Cuiusmodi difficilium nugarum vix fallemur si Lasum architectum fuisse opinabimur. Ab his autem artem putide ostentantium deliciolis mire abhorrebat poetae Thebani erectior animus, cui φυᾷ κράτιστον ἅπαν esset. Quare dithyrambum ille suum a comparatione veterum et novorum dithyramborum orsus istis vinculis semet eximit et istiusmodi operosa carmina fingentes dedignatur. Vide Boeckhii commentarios p. 581 sq.

Centauri, quos Epitomator ὕμνον vocat per errorem, cum dithyrambus esset, ᾠδή vocatur, ut Praxillae Achilles. Heroicarum autem rerum nomina ex argumento fere imponebantur dithyrambis, quo pertinere videtur quod iam Ario τραγικοῦ τρόπου εὑρέτης dicitur, licet id aliorsum vocet Hermannus Opusc. VII, p. 216. Sic Simonidis Memno fuisse videtur, Melanippidae Melii erant Danaides, Marsyas alii, Cleomenis Rhegini Meleager, aliorumque plurimi. Nec Pindarum Bacchylidemque argumenta heroica dithyrambis aeque propria (Plutarch. Mus. c. 10.) atque tragoediis respuisse docuit Dissenius in Fragmm. Pind. p. 624. Caussam reddit C. O. Muellerus Hist. Litt. Grr. II, p. 30. satis probabilem. Sed quid tandem Centauris fuisse cum Baccho commercii putabimus? Respondeat Horatius: ***Ne quis modici transiliat munera Liberi Centaurea monet cum Lapithis rixa super mero Debellata.*** Compara Pindari fr. inc. 44. in similem sententiam comparatum *). Neque illud a nostra opinione alienum est, quod Pindarus in dithyrambo aliquo Orionem fecerat Oenopionis regis, Bacchi filii, uxorem per vim aggressum et a deo, ut videtur, punitum, fr. Dithyr. 2.

Superest ut explanemus, quid Lasum commovisse videatur, ut litterae sibilanti in Centauris atque in hymno illo internecivum plane bellum indiceret. Etenim omnes omnino Graeci maximeque poetae concursum litterae illius, qua erant elegantia aurium, aspernabantur vitabantque cane peius et angui. Quippe ἄχαρι καὶ ἀηδὲς τὸ σίγμα καὶ εἰ πλεονάσειε σφόδρα λυπεῖ, Dionysius Hal. de Comp. Verbb. XIV. Qui quod statim addit: Τῶν γοῦν παλαιῶν σπανίως ἐχρῶντό τινες αὐτῷ καὶ πεφυλαγμένως, id vel in Homeri cadere carmina disputat I. H. Vossius in Hymn. Cer. 135.; universe fugam sigmatismi persequitur Lobeckius Parall. p. 15 sqq. Eum nulli fastidiosius notarunt quam comici poetae in Euripide, Plato Ἑορταῖς fr. VII. Vol. II, p. 626. Meinek., Eubulus Διονυσίῳ fr. III. Vol. III, p. 218. Confer Porsonum in Eurip. Med. 476. Quapropter qui in laeviganda faciundaque oratione scrupulosiores essent, molestam litteram extirpabant radicitus. In sermone

---

*) Aliam opinionem de argumento Centaurorum concepit Welckerus Trilog. Aesch. p. 266., cuius haec verba sunt: *„Pindar nennt Chiron des Kronos und der Okeanide Philyra Sohn und er folgte wahrscheinlich dem priesterlichen (?) Lasos, seinem Meister, der einen Gesang, die Kentauren, geschrieben hatte."* At haec in coniectura posita sunt incertissima. Pindarum quidem potius non secuturum fuisse Lasum putaveris, cuius exilia ludicra vilipenderet. In liberis Niobae ab eo discessit.

Atticorum primum Periclem *τὸν διὰ τοῦ σ σχηματισμὸν τοῦ στόματος, ἀπρεπῆ καὶ πλατὺν* fugisse ex Aelio Dionysio refert Schol. Hom. apud Cramer. Ann. Paris. III, p. 13, 32., Tryphiodori Odysseam *ἄσιγμον* commemorat Eustathius p. 1379, 55., Dionysium tragoediam *ἄσιγμον* scripsisse sumit Meinekius l. c. p. 219., qui ne Pindarum quidem talem lusum aversatum esse sibi excidere passus est. Unum Lasum debebat dicere. In quo ipso aliquam tamen cautionem habet acrior censura. Primum enim San Doriensium pinguiorem quendam habuisse sonum et auribus perosum, duplici illum interdum σσ expressum in titulis, docent Boeckhius Oecon. Civ. Ath. II, p. 386., ad Corp. Inscrr. I, 25. et Ahrens de Dial. Dor. p. 100. Deinde reputandum est quod Aristoxenus scripsit apud Athen. XI, p. 467, A. (p. 163 sq. Mahne.) *Τὸ σὰν ἀντὶ τοῦ σίγμα Δωρικῶς εἰρήκασιν. Οἱ γὰρ μουσικοί, καθάπερ πολλάκις Ἀριστόξενός φησι, τὸ σίγμα λέγειν παρῃτοῦντο διὰ τὸ σκληρόστομον εἶναι καὶ ἀνεπιτήδειον αὐλῷ· τὸ δὲ ῥῶ διὰ τὸ εὔκολον πολλάκις παραλαμβάνουσιν.* Sed Lasum modum excessisse in istis artificiis facile concesseris. Dignum est observatu, quanto is studio in exordio hymni litteras asperiores procul habuerit, venatus sit molliusculas. Liquidas enim haud minus argute colligavit quam factum est in bellissimis istis Agathoniis scitamentis in Symposio Platonis:

Εἰρήνην μὲν ἐν ἀνθρώποις, πελάγει δὲ γαλήνην
νηνεμίαν, ἀνέμων κοίτην, ὕπνον νηκηδῆ.

At fuerunt, qui a Laso Centauros quidem abiudicarent, quorum opinioni nescio unde profectae Pindarico testimonio occurri posse de suo an ex mente aliorum annotavit Athenaeus. Redeunt haec ad Aristophanem Byzantium auctorem, qui de dithyramborum Lasi *γνησιότητι* dubitationes movisset. Aperit narratio Aeliani H. A. VII, 47. *Ἔοικε καὶ τὰ τῶν λυγγῶν ἔκγονα σκύμνοι ὀνομάζεσθαι. Ἐν γοῦν τοῖς Λάσου λεγομένοις διθυράμβοις οὕτως εὑρίσκεται σκύμνος εἰρημένον τὸ βρέφος τὸ τῆς λυγγός.* (Sic enim haec distinguenda esse praeter alios Fr. Jacobsius Vol. II, p. 277. admonuit.) Aelianus enim omnia ista ex Aristophanis opere *περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν* excerpsit, de quo opere videndi Valckenarius in Theocr. Adon. p. 401. et Reiffius ad Artemid. I, p. 441. Caussa iudicii Aristophanei incomperta.

Praeter haec ex carminibus Lasi nihil aetatem tulit, nisi quod est de Niobidis apud Aelianum V. H. XII, 36. *Ἐοίκασιν οἱ ἀρχαῖοι ὑπὲρ τοῦ ἀριθμοῦ τῶν τῆς Νιόβης παίδων μὴ συνᾴδειν ἀλλήλοις. Ὅμηρος μὲν ἓξ λέγει καὶ τοσαύτας κόρας, Λᾶσος δὲ δὶς ἑπτὰ λέγει. Ἡσίοδος δὲ ἐννέα καὶ δέκα, εἰ μὴ ἄρα οὐκ εἰσὶν Ἡσιόδου τὰ ἔπη, ἀλλ᾽ ὡς πολλὰ καὶ ἄλλα, κατέψευσται αὐτοῦ. Ἀλκμὰν δέκα φησί, Μίμνερμος εἴκοσι καὶ Πίνδαρος τοσούτους.* Septenarium numerum quem Lasus praeivit secuti sunt praeter optimum quemque poetarum Aeschylum, Sophoclem, Euripidem, Aristophanem et recentiores, quicunque opera artis condiderunt, vide praeter Scholl. Eurip. Phoeniss. 159. Gell. N. A. XX, 7. Neuium Bacchyl. p. 68., inprimis Welckerum de Niobae Niobidarumque statuis eximie disserentem Mus. Rhen. T. IV. 1835, p. 257 sqq. Quem numerum cum Apollinis religione *Ἑβδομαγέτου* cohaerere suspicamur: Homeri sex filios totidemque filias Welckerus minus probabiliter ad duodecim menses anni exigit, nos ad religionem Dianae sexto mensis die, ut fabulabantur, in lucem editae. Hesiodus

quod undeviginti numeraverat, totidem in Iliade Hecubae habentur: Mimnermus numero rotundo viginti, ut Simonides totidem liberos Hecubae, vid. ad Simon. Cei Reliq. p. 103. Reliqui *) vel luserunt vel recondita sectati sunt: Lasus domesticam adoptavit fabulam Boeotorum, quibus septenarium numerum universe sacrum fuisse MUELLERUS persuasit Orchom. p. 221. Fuit prope Thebas locus *Ἑπτὰ πυραί* dictus, quem a septem rogis vel heroum qui Thebas oppugnarant vel Niobidarum appellatum ferebant. Scholia Pind. Ol. VI, 23. ex Vratisl. A: *Καὶ πυρὰς ποιοῦντες ἑπτὰ ἐπὶ τοῖς ἔρμασιν ἐνταῦθα ὅπου καλοῦνται Ἑπτὰ πυραί, ἢ ἀπὸ τῶν Ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις, ἢ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ παίδων Νιόβης ἐκεῖ καυθέντων, ἀπὸ τῶν ιδ΄ χωρισθεισῶν τῶν συζυγιῶν.* Ultima vix intelligi posse BOECKHIUS censuit p. 133., non attigit Paradoxographus Thebanus. Nos verborum integritatem non praestamus, sententiam intelligere videmur hanc esse: Locum illum ita esse vocatum ex numero parium Niobae liberorum, h. e. ut in eo nomine soli vel filii vel filiae cogitentur, *χωρισθεισῶν τῶν συζυγιῶν*. Plane sic Virgilius Aen. VI, 21. paria liberorum cogitans *septena corpora* quotannis ab Atheniensibus in Cretam missa facit. Tumulum *ἑπτὰ παρθένων* Niobae monstrat paedagogus Eurip. Phoen. 159., sed Thebis sepulcrum Niobidarum extare negavit Aristodemus in Scholiis. Certe ita credebatur.

Ceterum idem numerus in rebus sacris identidem recurrit. Quattuordecim iuvenes et puellas Atheniensium in Cretam missos modo perstringebamus: Sicyonii Apollinem et Dianam propitiare iussi *παῖδας ἑπτὰ καὶ ἴσας παρθένους ἐπὶ τὸν Σύθαν ποταμὸν ἀποστέλλουσιν ἱκετεύοντας*, Paus. II, 7, 7., *δὶς ἑπτὰ Λυδῶν παῖδας* cum Croeso in rogum coniiciebat Cyrus Herod. I, 86. Adde quaedam alia exempla apud WELCKERUM Append. SCHWENCKII Mythol. p. 285.

Denique quod teste Et. M. p. 195, 48. *βεῦδος* inter alia *παρὰ Ἑρμιονεῦσι καὶ ἄγαλμα* significavit, erunt qui ex Lasi carminibus ductum arbitrentur. Sed hoc incertum est. —

Lasus autem quicquid praeter dithyrambos pangebat lyrici carminis, dithyrambico colore infecit. Plutarchus de Musica 29. p. 1141, C. *Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεὺς εἰς τὴν διθυραμβικὴν ἀγωγὴν μεταστήσας τοὺς ῥυθμοὺς καὶ τῇ τῶν αὐλῶν πολυφωνίᾳ κατακολουθήσας πλείοσί τε φθόγγοις καὶ διεῤῥιμμένοις χρησάμενος εἰς μετάθεσιν τὴν προϋπάρχουσαν ἤγαγε μουσικήν.* Neque tamen Lasus propter res novas visus est veteribus vituperandus. Cui neminem exprobrasse quod artem in peius vertisset patet ex eo, quod vel Poesis vel Musica in Chirone Pherecratis *Ἐμοὶ γάρ*, ait, *ἦρχε τῶν κακῶν Μελανιππίδης*, vide MEINEK. Comicc. Grr. I, p. 320.: ad Melanippidem enim usque teste Plutarcho l. c. D. tibicines serviebant carminibus, non carmina tibicinibus. Quanquam idem post Lasi novationes ita pergit: *Ὁμοίως δὲ καὶ Μελανιππίδης ὁ μελοποιὸς ἐπιγενόμενος οὐκ ἐνέμεινε τῇ προϋπαρχούσῃ μουσικῇ, ἀλλ᾽ οὐδὲ Φιλόξενος οὐδὲ Τιμόθεος.* Sed nostrae sententiae, qui Lasum eximium statorem artis non depravatorem interpretamur,

---

*) LEHRSIUS Aristarch. p. 187. a quibusdam *viginti quattuor* ferri narrat ex Scholl. Ven. Il. Ω, 604. Lapsus is calami est. Dicuntur enim ibi *οἱ μὲν δεκατέσσαρας, οἱ δὲ εἴκοσι λέγειν.*

pondus adiicit Dionysii testimonium de Comp. Verbb. XIX., qui *παρά γε τοῖς ἀρχαίοις*, inquit, *τεταγμένος ἦν ὁ διθύραμβος*, puta ante Philoxenum, Timotheum, Telesten. Sic Simonides et Pindarus *τὸν ἀρχαῖον τρόπον* servasse dicuntur. Ulricus autem cur l. c. p. 140. formam antistrophicam dithyramborum a Laso antiquatam opinetur ne levissima quidem caussa apparet. Id recentiores poetae Attici fecerunt. Vide Muelleri Hist. Litt. Grr. II, p. 283 sqq.

Poeta Hermionensis qua excellebat mentis perspicacitate quoque tenebatur ardore caussas rerum sciscitandi omniaque ad calculos rationis revocandi, fundamenta novae doctrinae libro singulari comprehenderat: *πρῶτος περὶ μουσικῆς λόγον ἔγραψεν*. Quod olim quorundam sibilis explosum; nunc nemo dubitat, quin primus inter poetas Lasus libellum conscripserit pedestri oratione, ut post eum Sophocles chori tragici rationes peculiari scripto declaravit. Iure Boeckhius de Metr. Pind. p. 2. nullam artem tam mature disciplinae firmatam praeceptis esse dixit. Confer I. Franzium de Musicis Graecis (Berolin. 1840.) p. 3. Ex quo libro Lasi vel ad nos quaedam durarunt placita, quae quam strenue caussas artis scrutatus sit fidem faciunt. Aristoxenus Harm. Elem. I, p. 3. Meibom. *Ἀναγκαῖον τὸν βουλόμενον μὴ πάσχειν ὅπερ Λᾶσός τε καὶ τῶν Ἐπιγονείων τινὲς ἔπαθον, πλάτος τὸν φθόγγον οἰηθέντων ἔχειν, εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ μικρὸν ἀκριβέστερον.* Theo Smyrnaeus Mathem. p. 91. ed. Bulliald. *Λᾶσος ὁ Ἑρμιονεὺς, ὥς φασι, καὶ οἱ περὶ τὸν Μεταποντῖνον Ἵππασον, Πυθαγορικὸν ἄνδρα, συνέπεσθαι τῶν κινήσεων τὰ τάχη καὶ τὰς βραδυτῆτας, δι' ὧν αἱ συμφωνίαι.* Id placitum quibus machinis experiri conatus sit refert Theo statim post. Hinc vel ad Martianum Capellam nonnihil permanavit Nupt. Philol. et Merc. IX, §. 936. Kopp., p. 317. Grotius. De tribus enim generibus musicae loquens Musa: „*Primo*, inquit, *cum Lasus exorsus harmoniacam vim mortalibus divulgaret, tria tantum mei genera putabantur*, *εἰδικόν*, *ἀπεργαστικόν*, *ἐξαγγελτικόν*, *quod etiam ἑρμηνευτικόν dicitur.*" Quae si quis ad Lasi libellum rettulerit, vehementer erraverit. Adeo concinunt cum iis quae habet Aristides Quintil. p. 6 sqq., ut prorsus appareat Martianum de omnium doctorum harmoniacorum primo Laso non inaudivisse nisi fando *).

Talis cum esset Lasus, quis mirabitur, inprimis idoneum esse habitum, cuius disciplinae adolescentes poeticae artis studiosiores committerentur? Apud veteres enim Graecos multa quae essent ex arte gnaviter discenda erant, antequam quis poeta publice prodiret. Sic Homeridae discipulos

---

*) In verbis Martiani conformandis paullo negligentius versatus est Koppius, qui vel codicum scripturas accurate indicare neglexerit. Ex codice Darmst. *Lassus* profert, ex Monac. C *harmoniae cam* pro *harmoniacam vim*. Codex Grotii omnem locum exhibuit ita: *Primo quippe Lasius ex urse ermon ca vir mortalibus.* Meibomius in altero suo codice repperit: *Lassus ex surse armoniae vir*, in altero: *Lassius ex surse ermuonca vir.* Unde Meibomius elicuit: *Lasus ex urbe Hermionia harmoniae vim*; Scaliger: *Lasus ex urbe Ermionca harmoniacam vim*; Grotius: *Lasus exorsus harmoniae vim*, longe illis deterius; nec debebat arripere Koppius. Patet enim ex discrepantiis librorum, Martiani cerebellum sibi plausisse in simili sono verborum *Hermionae* et *harmoniae*. Quare a vero abeunt qui id in scriptura obscurant. In veteri codice Gudiano 62. legi rescivimus: *Primo quippe iasus* (corr. *iassus*) *exsurse ermione eā vir mortalibus devulgaret.* Scripsisse videtur nugator: *Primo quippe Lasus ex urbe Hermione harmoniae cum vim* sqq.

habebant, sic Sappho puellas artem musicam, h. e. rationes modorum artemque metrorum et carminum edocuit. Pater igitur Pindari cum perspexisset, quantopere is ultra vulgarem modum surgeret ingenio, Athenas portavit docendum a Laso; ipse enim cum tibicinem instituisset — ipsius Pindari rursus discipulum novimus Olympichum tibicinem in Scholiis Pyth. III, 137. —, in arte lyrica erudiendum Laso tradidit. Eustathius Prooem. p. 15. *Σκοπελῖνος τὴν αὐλητικὴν διδάξας τὸν παῖδα ἐπεί φασιν (οἱ παλαιοί) εἶδεν αὐτὸν μείζονος ἕξεως φύντα ἤπερ ὑπ' αὐτῷ τελειωθῆναι, παρέδωκεν εἰς μάθησιν μελοποιῷ, τῷ περιᾳδομένῳ Λάσῳ τῷ Ἑρμιονεῖ, παρ' ᾧ ἐπαιδεύθη τὴν λυρικήν.* Similiter Thomas Mag. p. 4. Modorum potissimum interiorem rationem chorosque cyclios docendi peritiam cum lyricae artis arcanis intellige. Praeter Lasum duos alios artifices musicos addit Eustathius statim post: *Ἔπειτα εἰς ποιητικὴν ἐτράπη καθηγησαμένων αὐτῷ τοῦ μαθεῖν ἢ τοῦ Λάσου, ὡς εἴρηται, ἢ τοῦ Ἀθηναίου Ἀγαθοκλέους ἢ Ἀπολλοδώρου· ὅν φασι καὶ προϊστάμενον κυκλίων χορῶν καὶ ἀποδημοῦντα πιστεῦσαι τὴν διδασκαλίαν Πινδάρῳ παιδὶ ὄντι, τὸν δὲ εὖ τὸ πιστωθὲν διακοσμήσαντα περιβοηθῆναι.* Neque tamen Lasi disciplina impediit, quominus ingeniosior multo discipulus in praeceptoris arte valentioris artificia generosius veheretur.

Erat enim Lasus omnino is qui minus tribueret divino cuidam ingenii nisui, sed acutule excogitatorum novitate captioseque dictorum astutiis animos hominum pelleret omniaque vel dicta vel facta ad aucupandam hominis *λεωφόρους ὁδοὺς* aversantis sapientiaque exuberantis referret gloriam. Prorsus quod in Aeschylo desideravit Sophocles, in hoc inerat: *τὰ δέοντα ἐποίει, καὶ εἰδώς γε.* Igitur assecutus illud est, ut a quibusdam vel in eorum qui Septem vocabantur Sapientum coetum reciperetur, vide Suidan et, qui in septemdecim illis recenset, ex quibus Septem ab aliis aliter seligebantur, Hermippum Diog. Laert. I, 42. Lasus enim non propter aliquas in rebus publicis constituendis gubernandisque partes, sed propterea Septem illis accensus est, quod brevibus callidisque responsis sapienterque dictis inclaruerat et in latentes abditasque rerum caussas subtiliter inquirere coeperat *). Illa enim aetas velut infans sub nutrice puella ludere dediscebat, usum rationis quaerendique sollertiam addiscebat. Lasus omnia ratione egit experiundoque profecit: artem conscripsit, Onomacriti fraudes odoratus critici est functus officio, scite responsa multa olim ferebantur. Convenientissimum ingenio Lasi quod Stobaeus Floril. XXIX, 70. refert *Ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους χρειῶν*, (quod opus a philosopho Stagirita removet Meinekius Hist. Crit. Com. p. 375.): *Λᾶσος Ἑρμιονεὺς ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος τί εἴη σοφώτατον; Πεῖρα, ἔφη.* (Alcman *Πεῖρά τοι μαθήσιος ἀρχά.*) Vulgatum *Τᾶσσος* ante Valckenarium correxerant P. Leopardus Emendatt. II, 23. (in Gruteri Lamp. Crit. III,

---

*) Quod Suidae auctor septem illis annumeratum dicit *ἀντὶ Περιάνδρου*, quidam Periandrum *ὡς ἀνάξιον σοφίας διὰ τὸ τετυραννηκέναι*, — verba sunt Clementis Alex. Stromm. I, p. 299. Potter. — ex numero illorum eximendum censuerunt. Alii catum virum Hermionensem in tyranni sedem suffecerunt, alii Mysonem Chenensem, vide praeter C. F. Wagnerum *de Periandro Corinthiorum Tyranno septem Sapientibus adnumerato* (Darmstadii 1828.) p. 29. disputationem C. Fr. Hermanni nostri *Antiquitatt. Laconicc.* (Marburgi 1841.) p. 92.

p. 41 sq.) et Menagius Diog. Laert. I, 42., nunc *Λάσσος* certe praebet congeries Bodleiana Crameri Ann. Oxx. IV, p. 253, 18., ubi pro *ἤδη* corrige *ἔφη* *). Dicterii in Simonidem iacti Aristophanis aetate vixit memoria. Sed nihil ad perdiscendam acutuli hominis indolem accommodatius quam quae Chamaeleon memoriae prodidit Athen. VIII, p. 338, B sq. *Οἶδα δὲ καὶ ἃ ὁ Ἑρμιονεὺς Λᾶσος ἔπαιξε περὶ ἰχθύων, ἅπερ Χαμαιλέων ἀνέγραψεν ὁ Ἡρακλεώτης ἐν τῷ περὶ αὐτοῦ τοῦ Λάσου συγγράμματι λέγων ὧδε· Τὸν Λᾶσόν φασι τὸν ὠμὸν ἰχθὺν ὀπτὸν εἶναι φάσκειν. θαυμαζόντων δὲ πολλῶν ἐπιχειρεῖν λέγειν, ὡς ὅ ἐστιν ἀκοῦσαι, τοῦτό ἐστιν ἀκουστόν, καὶ ὅ ἐστι νοῆσαι, τοῦτό ἐστι νοητόν. ὡσαύτως οὖν καὶ ὅ ἐστιν ἰδεῖν, τοῦτο εἶναι ὀπτόν· ὥστ' ἐπειδὴ τὸν ἰχθὺν ἦν ἰδεῖν, ὀπτὸν αὐτὸν εἶναι.* En praestigiatoris illecebras conclusiuncularum! Uti *γρῖφον* in *μελοποιΐα* proposuit, sic in istis aliquid *γριφῶδες* inesse voluit, ut Septem illos similiter praeter expectationem dictis animos hominum arrexisse scimus. Pergit Chamaeleon: *Καὶ παίζων δέ ποτε ἰχθὺν παρά τινων ἁλιέων ὑφείλετο καὶ λαβὼν ἔδωκέ τινι τῶν παρεστώτων· ὁρκίζοντος δὲ* (*τοῦ ἁλιέως* addit C) *ὤμοσε μήτ' αὐτὸς ἔχειν τὸν ἰχθὺν μήτ' ἄλλῳ συνειδέναι λαβόντι, διὰ τὸ λαβεῖν μὲν αὐτόν, ἔχειν δὲ ἕτερον, ὃν ἐδίδαξεν ἀπομόσαι πάλιν, ὅτι οὔτ' αὐτὸς ἔλαβεν, οὔτ' ἄλλον ἔχοντ' οἶδεν. εἰλήφει μὲν γὰρ ὁ Λᾶσος, εἶχε δὲ αὐτός.* His et talibus quis est quin vetustum Hermionensem Sophistarum laqueis prolusisse confiteatur? Nonne tibi Prodicum quendam videris ante Prodicum audire proprietates vocabulorum tenacissime observantem?

Septem illos constat interdum *Σοφιστάς* vocatos esse. Haud aliter Lasus. Hesychius: *Λασίσματα· ὡς σοφιστοῦ τοῦ Λάσου καὶ πολυπλόκου.* Perperam enim hanc notationem accipiunt et Bernhardy ad Suid. et Meinekius, qui ad ea spectare sibi persuaserint, quae in rebus musicis novarat Lasus. Meinekius Com. Grr. Vol. IV, p. 644., ubi ista in Incertorum Comicorum reliquiis reposuit fr. CLVIII., haec ascripsit: „Lasum dicit, cuius multiplices modorum flexus qui notare voluit poeta comicus, *λασισμάτων* nomine usus est. Nisi forte eo nomine ad versutum nescio cuius vafri hominis ingenium significandum usus est. Ac fortasse poetae versus hic fuit: *Ταυτὶ σοφιστοῦ πολυπλόκου λασίσματα.*" Haec Meinekio fraudi fuerunt. Nam sicuti *Καρκίνου ποιήματα* dicta novimus *τὰ αἰνιγματώδη* (Meinek. Hist. Crit. p. 511.), sic istiusmodi ludicra multifariam implicata de Laso vocabantur *Λασίσματα*, quasi tu dicas ***Lasi sophistae sophismata.*** Versiculi poetae nullum plane vestigium: grammatici explicationem ostendunt ista *ὡς σοφιστοῦ τοῦ Λάσου καὶ πολυπλόκου.*

Nunc illud quoque claret, quorsum pertineat quod Lasus *τοὺς ἐριστικοὺς εἰσηγήσασθαι λόγους* dicitur. Obscurius Bullialdus: ***contentiosas disputationes instituit;*** Suidas latinus: ***concertativum dicendi genus instituit.***

---

*) Quae ibi continuo dicto Lasi adduntur gnomae nolito putare quicquam ad eundem pertinere, licet non succurrat in tempore unde corrasae sint. Sequitur statim: *Οὐ προσποιεῖσθαι δεῖ φιλοσοφεῖν· οὐ γὰρ προσδεόμεθα τοῦ δοκεῖν ὑγιαίνειν, ἀλλὰ τοῦ κατὰ ἀλήθειαν ὑγιαίνειν.* — *Ἐρωτηθεὶς τίς αὐτοῦ διδάσκαλος γεγονὼς εἴη, τὸ τῶν Ἀθηναίων, ἔφη, βῆμα· ἐκφαίνων, ὅτι ἡ διὰ τῶν πραγμάτων ἐμπειρία κρείττων πάσης σοφιστικῆς διδασκαλίας ἐστίν.* In seqq. versus Epicharmi latet non addito nomine poetae.

Miracula vero BURETTIUS edidit, licet vel longius a vero abludant quae WELCKERUS, ULRICIUS, BERNHARDIUS alii inde extorsere, sed alio quodam modo *). Seduxit homines doctissimos, quod haec in Suidae commentario chororum cycliorum memoriae attexi videntur. Nempe, ut dicamus quod res est, veteres in istiusmodi Lasismatis, qualia Chamaeleon ad posteros propagavit, cristicae artis latere primordia statuebant. Verissime HENR. STEPHANUS Thesouro p. 5621., C. ed. Londin. „*Λασίσματα Imitamenta Lasi, astus et sophismata, quibus Lasus utebatur: fertur enim hic τοὺς ἐριστικοὺς εἰςηγήσασθαι λόγους.*" Prudenter igitur fecit quod artis cristicae initia ab aenigmatis et griphis repetit A. G. WINCKELMANNUS in elegantissimis Prolegomenis in Plat. Euthyd. p. XXII., qui praeter Lasum admonuit eorum, quae de Xenophane perscripsit Eusebius Praep. Evang. XI, 3. —

Si quis diligenter ea perpenderit quae huc usque de Laso scripsimus idemque meminerit qualis Simonides Ceus fuerit, is nihil similius istis in arte aemulis fuisse intelliget. Quid quod ipsa similitudo naturae atque morum in aemulandi contentionem depulisse videtur. Uterque poeta aliunde Athenas in ipsis novae aetatis confiniis delatus carmina lyrica iam ad normam quandam praeceptorumque cautiones astricta ex angusto singularum urbium usu exemit, exempla in communc Graecorum commercium provexit. Aura enim Attica afflarat et hunc et illum. Ab utroque qui didicerat Pindarus cum magistros ingenio superaret neque in illorum exemplis acquiesceret, animum ab utroque habuit alieniorem. Ludendo enim in carminibus suis utrumque Pindarus artis dignitatem minuere putaverit, vide exempli gratia Simonidis fr. CCXXIX., ne plura ponamus. Ingenii prae se ferendi eadem in utroque cupido: pulchre ambitioseque dicta utriusque ferebantur plurima: Sophistarum artificia uterque praecepisse dici potest, in apophthegmatis Lasus, Simonides vel in poematis; velut hic in eo carmine quod in Scopam Thessalum fecit,

*) Festive BURETTIUS l. c. p. 325. „*Il établit aussi des conférences ou des disputes, qui se faisoient publiquement sans doute, sur des sujets scientifiques, tels que la philosophie, la poésie, les mathématiques, et sur-tout la musique, tant spéculative que pratique.*" Aliter WELCKERUS Append. Tril. p. 233. de Arionis dithyrambis disserens: „*Schwerer zu entscheiden ist, ob die Satyrn wohl einzeln auftretend redeten, etwa Scherze machten über Stellen der mimisch-musicalischen Vorstellung und sie dadurch abwechselnd kurz unterbrachen, oder ob sie untereinander gesprochen, sich einander geneckt haben mögen, so dass damit die ἐριστικοὶ λόγοι, welche Lasos, indem er zuerst den Dithyramb* (adde *Athenis*) *zum Wettstreit brachte, eingeführt haben soll, gemeynt wären. — Oder was ist unter diesen ἐριστικοῖς λόγοις zu denken, wenn es weder jenes noch dieses, eine Art von Fescenninen war,* versibus alternis opprobria rustica?" ULRICIUS Hist. Poes. Lyr. II, p. 586. „*Was die ἐριστικοὶ λόγοι seien, ist nicht zu sagen. Sind etwa die Spottreden der Satyrn gemeint, deren Aufführung er auch für die Wettkämpfe ordnete, deren Chöre gewiss nach alter Sitte von solchen dialogischen Intermezzen unterbrochen wurden?*" BERNHARDIUS denique ad Suid. l. c. „*Id quo faciat obscurum: nisi forte suspicamur, peculiarem chororum speciem instar canticorum amoebaeorum designari.*" BODIUS l. c. p. 113. „*Auch soll Lasos zuerst die nekkenden Spottreden (von Seiten des darstellenden Chors) mit der Aufführung des Dithyrambos verbunden haben.*" Idem iterum p. 166. „*Lasos soll auch schon Streitreden in dem Dithyrambos angebracht haben; womit wahrscheinlich ein neuer Fortschritt der metrischen Rede zum Wechselgespräch gemeint ist.*" Falso omnes.

Prodiceam quandam subtilitatem sedulo affectavit. Griphos et γριφωδῶς involuta in amore utrique, vide Simonidis fr. CCXXX. XXXI. Suae praestantiae certi vel dictorum amaritudine vel carminum adversarios ulciscebantur, Lasus Simonidem, Simonidos alios, vide fr. CCXXIV. Postremo, ne latius evagemur, familiae Sapientum aggregatum demonstravimus utrumque, vide Prolegg. Simonidis Cei p. xxxvi., et ob easdem virtutes aggregatum.

Hactenus de Laso Hermionensi. Vos vero, Commilitones, in cursu studiorum vestrorum fortiter pergite. Valete.

P. P. in Academia Georgia Augusta mense Augusto MDCCCXLII.

RECITATIONES ORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GOTTFR. CHRIST. FRID. LÜCKE, Dr., privatim ***Epistolas Pauli apostoli ad Corinthios item ad Hebraeos*** interpretabitur hor. IX–X. sexies. ***Dogmaticam doctrinam*** docebit hor. XI – XII., quinis lectionibus. Publice ***Polemicam cum Statistica ecclesiastica*** conjunctam tradere perget binis lectionibus hor. IV – V. d. Mart. et Jov. ***Exercitationes societatis theologicae exegeticas et dogmaticas*** moderari perget.

JO. CAR. LUD. GIESELER, Dr., publice ***Historiae ecclesiasticae partem tertiam*** enarrabit quinis per hebd. horis h. V., privatim ***ejusdem historiae partem primam*** senis h. VIII. tradet, et ***Historiam dogmatum*** quinis h. IV. Praeterea ***Societatis suae theologicae exercitationes*** moderari perget.

JO. G. REICHE, Dr., h. IX – X. sexies per h. ***quatuor evangeliorum loca potiora*** interpretabitur, ita ut simul eorum fides historica auctoritasque dogmatica solide stabiliatur, ratione recentiorum de vita Jesu Christi scriptorum habita. ***Introductionem in N. T. libros canonicos historico-criticam*** h. XI – XII. quinquies tradet. Publice h. II — III. diebus Lunae et Jovis ***Pauli Apostoli epistolas ad Timotheum et Titum*** explicabit.

ERN. RUD. REDEPENNING, Dr., publice ***Seminarii Regii homiletici exercitationes*** solito more moderabitur die Saturni h. IX.; ***Jurisprudentiam pastoralem et de Cura animarum doctrinam*** tradet binis lectionibus diebus Lunae et Jovis h. II. Privatim ***Homileticam, Liturgicam et Catecheticam artem*** docebit quinquies h. III; ***Psalmos*** interpretabitur quinquies h. X. ***Societatis exegeticae*** sodalibus selecta e ***Prophetis minoribus*** capita interpretanda proponet.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

G. HUGO h. VIII. ***Encyclopaediam juris universi*** ex octava libri sui editione, h. X. ***Historiam juris civilis s. romani*** ex undecima hujus libri editione offert.

ANT. BAUER h. IX. ***Jus criminale*** ex secunda compendii sui editione docebit; diebus Mercurii et Saturni h. II. civibus Nassoviensibus ***Jus provinciale Nassoviense*** tradet.

FRIDER. BERGMANN, Dr., h. II. *theoriam processus civilis* tradet; h. IX. quinquies per hebd. collegium, quod vocant *processuale practicum*, h. X. ter per hebd. *relatorium* instituet, librorum suorum *(Beitr. z. Einl. in d. Praxis d. Civilprocesse, Anleit. z. Referiren)* subsidiis usurus.

C. F. MÜHLENBRUCH, Dr., *Pandectas*, quotidie h. X. et XI. ex libro suo docebit; *Jus hereditarium* h. IV–V. quinquies per hebd. privatim quidem, iis tamen, qui Pandectarum scholis intererunt, tamquam harum scholarum partem tradet.

GEO. JUL. RIBBENTROP, Dr., hor. X–XI. *Institutiones juris Romani* tradet; hor. I–II. *doctrinam de hereditatibus*, privatim quidem, sed iis, qui Pandectis suis interfuerunt, tamquam harum praelectionum continuationem; hor. IX–X. *Historiam et antiquitates juris Romani* explicabit.

WILH. THEOD. KRAUT, Dr., quinquies per hebdomadem h. XI–XII. *Jus publicum confoederationis Germanicae nec non rerum publicarum eidem adscriptarum*; h. III–IV. *Jus ecclesiasticum tam catholicorum quam protestantium* tradet.

HENR. ALB. ZACHARIAE tradet *Theoriam processus criminalis* ex libro suo: *Grundlinien des gemeinen deutschen Crim. Proc.*, junctis *practicis exercitationibus*, quinquies per hebd. hora XI.; *Encyclopaediam juris*, quater per hebdom. hora II.

ORDINIS MEDICORUM.

C. J. M. LANGENBECK, Dr., Anat. et Chirurg. Prof., hor. XI–XII. diebus Lun., Merc. et Ven. *Osteologiam et Syndesmologiam* Iconibus suis osteologicis subsidiis exponet; hor. I–II. *Demonstrationes anatomicas* Iconibus suis anatomicis subsidiis instituet; hor. X–XII. et hor. II–IV. *Cadaverum dissectiones* una cum Prosectore Pauli diriget; hor. VI–VII. pomeridiana *Chirurgiae alteram partem* tradet; hor. IX–X. *Cliniceu chirurgicam et ophthalmiatricam* in Nosocomio chirurgico diriget. Privatissime instituet: 1) *Cursum chirurgico-manualem*; 2) *Cursum operationum ophthalmiatricarum.*

JO. GUIL. HENR. CONRADI, Dr., hor. III. *Pathologiam*, ex 6. compendii sui editione, atque *Therapiam generalem* ex suo compendio, hor. V. *Pathologiae et Therapiae specialis partem secundam*, *excretiones abnormes*, *cachexias neuroses et mentis morbos* complectentem, ex 4. compendii sui editione tradet, hor. X. *Praxin medicam* in Nosocomio academico eique adjuncto Clinico ambulatorio docebit.

C. F. H. MARX, Dr., tradet *Pathologiam et Therapiam generalem* hora III–IV. quinquies per hebdomadem; *Doctrinam de remediorum effectibus atque usu* (quam Pharmacodynamicen vel materiam medicam nominant) totidem horis h. II–III.; *Artem formulas medicas concinnandi* die Saturni hor. II.

ED. CASP. JAC. DE SIEBOLD, Dr., hor. VIII–IX. quinq. per hebd. *Artis obstetriciae doctrinam* exponet, simulque auditoribus aditum ad *exercitationes clinicas partusque observandos* praebebit. *Cursum operationum obstetriciarum cum explorationibus gravidarum* conjunctum hor. III. aliisque

horis commodis instituet. *Exercitationes clinicas* moderari perget. *Medicinam forensem* quat. p. hebd. hor. IV. docebit.

JO. FR. OSIANDER, Dr., tradet h. IX. *Artis obstetriciae theoriam et praxin* quinquies per hebdomadem.

F. WÖHLER, Dr., hora IX–X. sexies per hebd. *Chemiam theoreticam* tradet. *Exercitationes chemicas* in laboratorio academico sueto more instituet.

A. A. BERTHOLD, Dr., *Anatomiam comparatam* hor. VIII–IX. docebit; *Zoologiam medicam*, adjunctis demonstrationibus in museo academico, dieb. Mart., Jov. et Sat. hor. XI–XII.

C. H. FUCHS, Dr., publice die Mercurii hora III. *Historiam, Nosologiam et Therapiam morborum syphiliticorum* exponet; privatim sexies per hebdom. hor. II–III. *Nosologiae et Therapiae specialis partem primam* et quater per hebdom. hor. V–VI. *ejusdem partem tertiam (Neurosium et morborum, qui formae mutationem spectant, doctrinam)* tradet. *Praxin medicam* sueto more hora XI. in instituto clinico docebit.

RUDOLPHUS WAGNER, Dr., *Physiologiam organismi humani generalem et specialem* ad compendium suum *(Lehrbuch der Physiologie. Leipz.* 1842.) docebit et experimentis observationibusque microscopicis illustrabit sexies per hebd. hor. X–XI. *Exercitationes practicas* in instituto physiologico moderabitur.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

CHR. GUIL. MITSCHERLICH publice die Mercurii h. XI–XII. Seminarii Regii philologici Sodales in *Lucretio* interpretando exercebit. Privatim h. II–III. *Callimachi et Homeridarum hymnos* explanabit.

CAROLUS FRIDERICUS GAUSS h. X. *Astronomiam practicam* docebit; lectionibus privatissimis *Methodum quadratorum minimorum* ejusque usum in Astronomia, Geodaesia sublimiori Scientiaque naturali explicabit.

JO. FRID. LUD. HAUSMANN hora VIII–IX. dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven. *Agriculturam* tradet. Hora X–XI. dieb. Mercur. et Sat. *Crystallographiam*, eademque hora dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven. *Mineralogiam*, praecipue *ad rem metallicam, agrariam, saltuariam, pharmaceuticam spectantem*, docebit.

GEO. FR. BENECKE privatim hora vespertina VI–VII. d. Lun., Martis, Jovis, Ven. *Elementa linguae anglicae* tradet; hora vespertina VII–VIII. totidem horis *Selecta poeseos germanicae saeculi XIII. specimina* interpretabitur.

G. C. J. ULRICH *Mathesin puram* h. III., *Trigonometriam (planam et sphaericam) et Stereometriam* h. II., *Calculum differentialem atque integralem ejusque in Geometria usum* h. XI. tradet.

CAROLUS HOECK quinquies per hebdomad. hora IV–V. *Historiam antiquam universalem* tradet.

GEO. FRID. GUIL. MEYER hora XI–XII. tradet: 1. *sylvarum Culturam*, 2. *Oeconomiam et aestimationem sylvarum.*

F. TH. BARTLING hor. II. dieb. Mercur. et Saturn. *Ordines plantarum polypetalarum*, et hor. XI. d. Mercur. *plantas in Horti acad. hibernaculis*

florentes publice demonstrabit; hor. XI. dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven. *Organographiam et Physiologiam plantarum* docebit; iisdem diebus hor. II. *Vegetabilium cryptogamorum historiam* tradet. — *Excursiones botanicas* solito more instituet.

HENRICUS RITTER *Theologiam naturalem et philosophiam religionis* dieb. Lunae, Mart., Jov. et Ven. hor. III–IV. docebit. *Praecipua, quae inter Germanos inde a Kantio floruerunt, systemata philosophica*, historice et critice recensebit quinis p. hebd. schol. hor. V–VI.

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN privatim *Historiam culturae Graecorum Romanorumque publicae et literariae* narrabit senis scholis h. IX; *Platonis Phaedonem* interpretabitur praemissa disputatione *de philosophi scriptis placitisque universis* quinis scholis h. X; publice die Sat. h. XI. Sodalium Seminarii Regii philologici *disputationes* moderabitur.

CAROLUS OESTERLEY, Dr., quinquies per hebdomadem hora IV–V. *Historiam artis picturae, statuariae et architecturae* enarrabit; hora VI–VIII. diebus Lun. et Jov. *exercitationes eorum moderabitur, qui viva exempla delineando imitari volent;* privatissime docebit etiam *Artem delineandi et pingendi.*

AUG. GUIL. BOHTZ, Dr., *Psychologiam* diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris hora II–III tradet. *Historiam Germanorum literariam inde a Klopstockio usque ad nostra tempora* enarrabit hora XI–XII.

F. G. SCHNEIDEWIN, Dr., publice Seminarii Regii Philologici Sodalibus *Aeschyli Persas* interpretandam proponet, diebus Lunae et Martis hora XI. Privatim *Encyclopaediam et Methodologiam disciplinarum philologarum* tradet quinquies per hebdom. hor. II.; *Taciti Annales* enarrabit quater per hebdom. hora X.

ERNESTUS LUDOVICUS A LEUTSCH, Dr. phil., publice Seminarii Regii Philologici Sodalibus *Apuleji Metamorphoseon libros* interpretandos proponet, dieb. Jov. et Vener. hor. XI–XII. — Privatim: *Historiam Literaturae Latinae* enarrabit, quinquies p. hebd. hor. III–IV; *Sophoclis Electram et Euripidis Alcestin* explicabit, quinquies p. hebd. hor. VIII–IX., aut alia hora auditoribus commoda.

RECITATIONES EXTRAORDINARIAE.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GUIL. HENR. DOR. ED. KÖLLNER hora III–IV publice explicabit *epistolas*, quas vocant *catholicas* diebb. Lun., Mart., Vener.; hor. IX–X interpretabitur *tria priora evangelia* senis lectionibus; *Societatis suae theologicae studia* sueto more moderabitur.

CAROL. THEOD. ALBERT. LIEBNER privatim *Artem homileticam, adjunctis Catechetices praeceptis*, docebit dieb. Lun., Mart., Jov. et Vener. hora III–IV. *Exercitationes catecheticas* moderabitur die Mart. hora VI. *Seminarii Regii homiletici Sodalium exercitationes* consueto more regere perget die Saturni hora IX–XI.

ORDINIS MEDICORUM.

ERNESTUS GUILIELMUS HIMLY, Dr., postquam ex morbo convaluerit, lectiones suas indicabit.

JO. HENR. CHR. TREFURT, Dr., sexies hora VIII–IX. *Tocologiam* tradet. *Cursum operationum obstetriciarum* hora V–VI. instituet. Iis qui fortasse privatissime in *Artis obstetriciae parte practica* exerceri cupierint, horis commodis vacabit, et quotiescunque fieri potest partuum observandorum occasionem praebebit.

CH. G. TH. RUETE, Dr., tradet *partem theoreticam morborum oculorum et aurium* hora VIII–IX.; *partem practicam morborum oculorum et aurium*, iconibus et aegrotis adhibitis, hora II–III.; *materiam medicam, artem formulas medicinales conscribendi et medicamenta in usum aegrotorum dispensandi*, hora IV–V. *Operationes circa oculorum et aurium morbos suscipiendas* privatissime docebit.

AUG. GRISEBACH, Dr., *Anatomiam et Physiologiam plantarum*, addita utriusque regni organici comparatione, quater per hebdomadem tradet et d. Saturni ope microscopii illustrabit h. XI; *Botanicen medicam* h. III. docebit. *Exercitationes botanicas practicas* offert.

JULIUS VOGEL, Dr., tradet *Anatomiam pathologicam* hora VIII–IX. quinquies per hebdom.; quater hora III–IV. *Histologiam et Anthropochemiam* docebit ac demonstrationibus microscopicis experimentisque chemicis illustrabit.

G. HERBST, Dr., hor. VIII–IX. quater per hebdomadem *Pathologiam et Therapiam morborum infantum et mulierum* tradet: publice hor. II–III. d. Lunae *Anatomiam et Physiologiam Systematis lymphatici* experimentis illustrabit.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

JO. FR. CÉSAR *Historiam literarum francogallicarum* quater per hebd. hora IV. gallice tradet; scholasque duas in *gallice scribendo et loquendo* quinquies p. h., alteram hora V., alteram hora VI. solito more habebit. Privatissimas scholas continuabit. — Denique ad cujuslibet gallici scriptoris explanationem nec non ad exercitationes privatissimas in arte gallice scribendi acta diplomatica (*diplom. Styl*) sese offert.

GUIL. HAVEMANN, Dr., hora III. quinquies per hebd. *Historiam praecipuorum Europae regnorum inde a saeculo sexto decimo usque ad tempora nostra* leget; hora XI–XII. dieb. Lun., Mart., Jov. et Vener. *Historiam brunsvico-lunaeburgensem* tradet.

JOANNES BENEDICTUS LISTING *Physicen experimentalem* tradet h. II. *Exercitationes ad physicen practicam pertinentes* in ergasterio physico instituet die Sat. hor. XI–I. *De machinis vi vaporis aquei motis* theoriam cel. DE PAMBOUR sequuturus lectionibus privatissimis aget.

HENR. FERD. WÜSTENFELD, Dr., hora II. *Jobi librum* interpretabitur; publice hora I. dieb. Merc. et Saturni *vaticinia Joelis et Amosi* explicabit et horis commodis *Scholas Arabicas* continuabit.

A. F. H. SCHAUMANN, Dr., quaternis lectionibus, quibus secunda editio libri DAHLMANNI: *Quellenkunde der deutschen Geschichte Göttingen* 1838. fundamentum erit, *Historiam Germaniae*, hora IV – V. docebit. *Artem diplomaticam* docebit, simulque *exercitationes practicas scripturas veteres et diplomata legendi* instituet. Societatem historicam regere perget.

AUGUSTUS BERNHARDUS KRISCHE, Dr., privatis scholis *Historiam philosophiae antiquae* tradet sexies per hebdom. hor. VIII – IX.; *Ciceronis de Natura Deorum libros* explicabit quinquies per hebdom. hor. III – IV.

CAROLUS HIMLY, Dr., *Physicen experimentalem* docebit quinquies per hebdomadem hora II – III. *Exercitationes chemicas practicas* diebus et horis commodis in laboratorio suo instituet. Privatissime *singulas Chemiae Physicesque partes repetendo et examinando* docebit.

E. BERTHEAU h. X. *Genesin et selecta e reliquis Pentateuchi libris capita* interpretabitur, h. II. *Historiam et archaeologiam Hebraeorum* enarrabit. Publice binis lectionibus h. I. *linguam aramaeam*, privatissime *linguam arabicam* docebit. *Societatem exegeticam* exercebit.

FRIDERICUS WIESELER, Dr., privatissime *elementa rei nummariae veterum* docebit; privatim *de arte tragica Graecorum* exponet et *Aeschyli Prometheum vinctum*, *Sophoclis Oedipum Regem*, *Euripidis Medeam* interpretabitur eo imprimis fine, ut ars principum tragoediae graecae qualis fuerit ex his ipsorum operibus accuratius excussis appareat, quinis scholis, h. IV – V. *Societatis philologicae exercitationes* regere perget.

* * *

GOTTF. DANIEL. AUWERS, rei equestris magister, *Artem equitandi* tradet senis per hebdom. horis; *Exercitationes equestres* in hippodromo regio sueto more continuabit; denique de *equi corpore et specie* aget.

FRID. CAROL. LAPPE, Dr., Instituti Reg. veterinarii Director, tradet hor. I – II. *Anatomiam et Physiologiam animalium domesticorum rei rusticae inservientium*, quinquies per hebd.; hor. II – III. *Pathologiam generalem animalium domesticorum*, quater per hebd.; hor. X – XI. sexies *exercitationes clinicas* instituet.

* * *

J. A. G. HEINROTH, Dr., *Cantandi exercitationes* quas *Singakademie* vocant, diriget die Lunae hora VIII. vesp.; *Artis musicae Theoriam* die Mercurii et Saturni hor. I – II. explicabit. *Crisin artis musicae* tradet dieb. Lunae, Martis, Jovis et Veneris hor. I – II. *Artem concinne cantandi et clavichordium rite pulsandi* privatissime docebit.

H. M. MELFORD, Dr., *Linguae anglicae elementa* quaternis per hebd. scholis tradet hora VII., e libris suis: "*Vereinfachte Engl. Sprachlehre, Braunschweig Vieweg 1841. The English Reader, 2. Edit. ebendas. 1837*»; *Historiam literaturae anglicae quinquaginta ultimorum abhinc annorum* nec non *Byron Mazeppa* ex ed. sua *Braunschw. Vieweg 1834* et *W. Scott Lay of the last minstrel* exponet, ternis per hebd. lectionib.

hora I.; *Synonymiam linguae anglicae adjunctis exercitationibus practicis* explanabit, duce libro suo: *Synonymisches Handwörterbuch der Engl. Sprache, Braunschw. Vieweg. 1841.* ter per hebd. hora II–III. Praeterea privatissime *linguas anglicam, franco-gallicam, italicam et hispanicam* docebit e libris suis: «*Vereinf. Engl. Sprachlehre, The Reader, Manuel des amateurs de la langue française 1835, Chefs-d'Oeuv. poet. de Lamartine, Delavigne et V. Hugo, 4. vol. 1841., Handbuch der Italien. Umgangssprache 1841., Span. Bühnenstücke 2 Bdchen, 1839.*»; *exercitationes scribendi et loquendi* continuabit.

RECITATIONES PRIVATIM DOCENTIUM.

ORDINIS THEOLOGORUM.

GEO. CHN. RUD. MATTHAEI *Epistolas Pauli ad Corinthios atque epistolam ad Hebraeos* interpretabitur, sexies per hebdom. hor. IX., *Vitam Jesu Christi* illustrabit, habita librorum a Straussio editorum ratione perpetua, hor. I. quinquies per hebdom.

FRIDER. AUG. HOLZHAUSEN, Philos. Dr. ac Theol. Lic., *Historiam ecclesiasticam universalem* enarrabit senis lectt. h. VIII. *Jobum* interpretabitur h. X. *Historiam reformationis Ecclesiae teutonicae* gratis tradet diebus Mercurii et Saturni h. I.

ERNESTUS KLENER, Lic., *Psalmos* hora X. quinis per hebd. lectionibus interpretabitur. *Grammaticam linguae Hebraicae*, duce Ewaldi grammatica minori, totidem lectionibus hor. XI. exponet, juncta *Geneseos* lectione. *Examinatorium*, quo *potiora capita disciplinarum theologicarum* pertractabuntur, offert. *Societatis theologicae* studia, adhibito libro Nitzschii, «*System der christl. Lehre*», ed. IV. 1839., sueto more die Mercurii hora VII–X. vespert. moderari perget.

LUDOVICUS DUNCKER, Lic., *Historiae ecclesiasticae partem posteriorem* enarrabit sexies per hebd. h. VIII–IX.; *Introductionem criticam et hermeneuticam in Nov. Test.* docebit quinquies per hebd. h. XI–XII.

CAROLUS WIESELER, Lic., gratis *Acta apostolorum* praesertim Paulinarum epistolarum ratione habita illustrabit diebb. Lunae et Veneris h. IV; privatim *Jesajam prophetam* interpretabitur sexies hor. X., et *Biblicam N. T. theologiam* seu *doctrinam Jesu in evangeliis traditam cum omnium apostolorum doctrina comparatam* enarrabit quater hor. II.; denique *Societatem exegeticam* sueto more moderari perget.

E Collegio Repetentium.

JOAN. THEOPH. KUNO KRANOLD ex officio *Vaticinia prophetarum* exponet. Privatim tradet *Archaeologiam ecclesiasticam* scholis quaternis h. II. *Historiae ecclesiasticae partem priorem repetet* die Saturn. h. XI. idque gratis. Ceterum repetituris aderit *scholis privatissimis*.

CAR. GUIL. HAENELL gratis *Vaticinationes messianas, quae N. T. libris et historicis et poeticis insunt*, praemissa uberiore disquisitione *de prophetiae natura et vi* bis per hebdomadem horis commodis interpretabitur. Privatim *Encyclopaediam et Methodologiam theologicam* docebit adjuncturus *succinctam universae theologiae historiam* ternis scholis hor. III–IV.; *Apologeticam Christianam* initio ternis postea quaternis lectionibus exponet hor. V–VI. *Societatis theologicae studia*, adhibito libro b. SCHLEIERMACHERI „*Kurze Darstellung des theologischen Studiums*" ed. II. 1830, moderabitur die Martis horis VIII–X. vespertinis.

ORDINIS JURISCONSULTORUM.

C. FR. ROTHAMEL, Dr., *Jus ecclesiasticum tam Catholicorum quam Protestantium* h. X. tradet; *Pandectas* privatissime docebit; *Jus feudale* h. II. tradet; *Examinatoria generalia et specialia* more sueto instituet.

S. BENFEY, Dr., doctrinam *de actionibus et exceptionibus* quater per hebdomadem hora III. proponet, *jus civile* nec non *processum civilem* privatissime docebit.

FR. B. GREFE, Dr., tradet *Historiam regni jurisque hanoverani* quinquies per hebdom. hora I–II.

FRID. GUIL. UNGER, Dr. et praefecturae reg. Gotting. assessor, *Jus privatum germanicum* sexies p. h. hora XI–XII. docebit; *Historiam juris publici et privati germanici* (*deutsche Staats- und Rechts-Geschichte*) quinis scholis h. II–III. enarrabit; *Doctrinam de statibus provincialibus* (*von den Landständen*) gratis die Lunae h. V–VI. tradet. *Societatis juridicae exercitationes* regere perget, nec non iis aderit, qui privatissime *Jus Romanum* vel *Germanicum* repetere velint.

CAROL. GUIL. WOLFF, Dr., tradet *Jus germanicum privatum* sexies per hebdom. hora X.; *Jus feudorum et mercaturae* quinquies p. h. hora III.

ED. WIPPERMANN, Dr., h. X–XI. *Institutiones juris Romani* tradet; h. XI–XII. *Gaji institutiones* usque ad comm. III. §. 88 interpretabitur; ter per hebdomadem hora commoda tractabit gratis *de jure possessionis*; *de usucapionibus et temporis praescriptionibus*; *de his, qui notantur infamia*; *de hereditatibus et bonorum possessionibus, quae ab intestato deferuntur*; *nec non de his, quibus testamento prospiciendum est.*

OTTO MEJER, Dr., quinquies per hebdomadem hora VIII. *Jus ecclesiasticum tam Catholicorum quam Protestantium*, hora II. *Jus criminale tam commune quam Hanoveranum* tradet; neque iis deerit qui privatissime *jus Romanum* repetere velint.

GUILIELMUS LEIST, Dr., hora III., quinquies per hebdomadem *Historiam juris Romani* tradet; gratis hora II. dier. Lunae et Jovis *Jus necessariorum heredum*; nec non repetitoria *de jure Romano* offert.

A. ZIMMERMANN offert *examinatoria et repetitoria de jure civili romano, de jure germanico privato, nec non de processu civili* habenda.

ORDINIS MEDICORUM.

L. A. KRAUS offert tradenda: *Iamatologiam generalem* s. *philosophicam* e libro suo: *wissenschaftl. Übersicht der gesammten Heilmittellehre*; horis, quae auditeris commodae videbuntur, gratis; *Pharmacologiam* s. v. d. *Mat. med.*, ex eod. libro, hora IV. pomerid.; *Nosologiam et Therapiam generales* e libro suo: *allgem. Nosologie und Therapie, wissenschaftl. dargestellt*; tempore auditeris apto.

J. H. PAULI, Dr., hora VII–VIII. vespertina *doctrinam de fasciis vincturisque chirurgicis* tradet; simulque in iisdem applicandis auditores erudiet. — Privatissime *operationes in dentium morbis adhibendas* instituet: dentes artificiose faciendos dentiumque series (quas dicunt *Gebisse*) construendas, iisque inprimis dentes Parisienses ex vitro metallico (quod *Email* dicunt) factos inserendos docebit.

CH. F. E. STROMEYER, Dr., hora VIII–IX. sexies per hebd. *Pharmaciam* tradet hora II–III. v. a. h. c. ter per hebd. *Exercitationes chemicas practicas* ad exploranda praeparata pharmaceutica instituet. Praeterea repetitoria et examinatoria de *Pharmacologia*, *Pharmacia* singulisque *chemiae theoreticae partibus* offert.

CAROLUS BERGMANN, Dr., *Physiologiam c. h.* hora X., *Medicinam forensem* iis, qui juri student, h. I. diebus Martis, Jovis et Veneris tradet.

ORDINIS PHILOSOPHORUM.

G. H. BODE, Dr., ord. philos. Assessor, hora II. *Taciti historias* privatim interpretabitur; hora III. *Shakspearii Julium Caesarem* anglice explicabit; lectiones privatissimas sueto more continuabit.

FR. GUIL. SCHRADER, Dr. phil., lectiones suas indicabit alias.

CHR. FOCKE, Dr., privatim *Mathesin puram*, *Architecturam civilem* horis diebusque commodis docebit.

A. LION, Dr., hora XI–XII. *Xenophontis Anabasin*, hora I–II. *Gellii Noctes Atticas* interpretabitur, editiones utriusque scriptoris a se curatas secuturus. Praeterea privatissime *linguas Graecam*, *Latinam*, *Franco-Gallicam*, *Anglicam et Italicam* docebit.

H. G. KÖHLER, Dr. phil., docebit *Mathes. puram* duce LORENZ *Grundriss der reinen Mathematik* quinquies per hebd. hor. III–IV.; *Technologiam* d. Lun., Mart., Jov. et Ven. hor. II–III.; *Architecturam civilem* dieb. Lun., Mart., Jov. et Ven. hor. XI–XII.; adjunctis exercitationibus artis delineandi. Ad privatissimas lectiones paratus est.

THEODORUS BENFEY diebb. Lun. et Mart. h. I–II. gratis *Grammaticam linguae sanscritae* docebit diebb. Mercur. et Sat. ead. h. privatim *Kalidâsae Mêghadûtam* interpretandum proponet; diebb. Jov. et Ven. ead. hor. brevem conspectum *Archaeologiae indicae* dabit; h. X–XI. quater p. hebdom.

Grammatices graecae, cognatarum linguarum auxilio illustratae, *partem* docebit *priorem*.

M. A. STERN tradet *Analysin atque geometriae analyticae rudimenta* h. XI.; *Theoriam resolutionis aequationum numericarum* quater p. h. h. II.; *Mathesin puram* h. IV.

ANDR. THOSPANN, Phil. Dr., interpretabitur h. secunda d. Lun., Mart., Jov. et Ven. *Taciti Annalium Libr. prim.*

C. W. B. GOLDSCHMIDT, Phil. Dr., quinis diebus hora XI–XII. *Geographiam mathematicam* docebit; hora II–III. diebus Lunae et Jovis *Astronomiam popularem* tradet.

H. A. L. WIGGERS, Dr., *Repetitoria et Examinatoria de Chemia theoretica, Stoechiometria, Pharmacia, ceterisque Chemiae partibus* privatissime instituet.

GUILIELMUS ROSCHER privatim docebit *Doctrinam politicam et statisticam*, adjuncta brevi *politiae et juris gentium* expositione, senis per hebdomadem scholis hora VIII–IX.; *Oeconomiam politicam* («*Nationalökonomie* et *Finanzwissenschaft*») quinis per hebdomadem scholis hor. III–IV.

E. WAPPÄUS, Dr., gratis *Historiam peregrinationum, quibus America inventa et cognita est, adjecta brevi descriptione geographica et statistica ejusdem partis mundi*, enarrabit dieb. Merc. et Sat. h. III–IV. Privatim *Statisticam* tum *generalem*, tum *specialem Civitatum foederatarum Americae septemtrionalis, Regnorumque Britanniae, Franciae, Borussiae et Hanoverae* docebit quater per hebd. h. III–IV.

THEOD. TOEGEL Dr., docebit gratis *De unione mercatoria in Germania*, quam dicunt «*Zollverein*» d. Mercur. h. XI–XII.; privatim *principia politiae* (*Polizeiwissenschaft*) in primis ratione habita status ac legum in regno Hannov. valentium dieb. Lun., Mart., Jov., Ven. hor. XI–XII.

GUIL. MÜLLER, Dr., *Grammaticam theotiscam* tradet quaternis scholis hora V.

CAROLUS ECKERMANN, Dr., gratis bis per hebdomadem h. II–III. *Taciti de Germania libellum* ratione praecipue habita *sacrorum a Germanis observatorum* interpretabitur; quinquies p. h. h. X–XI. *Mythologiam universalem* tradet privatim.

FR. CAR. LOTT, Dr., *Logicam reliquarumque philosophiae partium Encyclopaediam* tradet quinquies p. h. hor. IV–V.; *Paedagogicam* autem dieb. Lun., Merc. et Ven. hor. VIII–IX.

* * *

Musicam delineandique artem, nec non cultissimorum Europae populorum *linguas ac literas* tradent etiam alii viri intelligentes doctique, iique lectionum suarum rationem tempusque loco solito indicabunt. *Saltationem armorumque tractandorum* artem stipendiis regiis auctorati Magistri docent.